INTRODVCTIO
IN
COLLECTIONEM SCRIPTORVM,
HISTORIÆ BRVNSVICENSI
INSERVIENTIVM,
QVI PLERIQVE AVT OMNINO AVT MELIORES NVNC PRODEVNT, VEL CERTE NON SATIS IN MANIBVS HABENTVR.

Cum renatis literis viri eruditi ad Historias scribendas animum applicarent, narrationes nullis documentis firmatas dabant veterum exemplo, tanquam ad fidem faciendam autoritas scribentis sufficeret. Hoc in contemporaneis admitti poterat utcunque, præsertim si autor in rerum luce versatus scire posset, quæ posteris tradebat: sed in remotis temporibus locisque fiducia pro veris incomperta memorantis, ex rumore, aut affectu, aut infido teste, intolerandos errores peperit; qui paulatim animadversi sunt, postquam scriptores antiquiores Typographiæ beneficio in omnium manibus esse cœpere. Nec rectè veterum exempla nobis opponuntur, solutiùs scribentium: quin potius eo ipso superiores sumus, quod hodie ab Historico probationes exigimus. Itaque valde laudatum est Centuriatorum Magdeburgensium institutum in tradenda Ecclesiæ Historia, ubi magna severitas ad religionem pertinebat. Et sanè Eusebius Cæsareæ in Palestina Episcopus exemplo insigni præierat, qui multa nobis & egregia vetustiorum fragmenta servavit. Hunc imitatus Matthias Flacius Illyricus ex dissipatis aut neglectis Monasteriorum Bibliothecis tanquam ex naufragii tabulis insignem sibi comparaverat apparatum Manuscriptorum Codicum, quorum non pauci postremo in Bibliothecam Juliam cessere, Helmæstadiensi cognomini Academiæ Principum munificentia attributam. Reperitque vir doctus adjutores non spernendos, qui apud Magdeburgenses tutò & liberè scribere posse sperabant, & subsidiis liberalibus undecunque corrogatis sustentabantur, etsi aliquoties sedem mutare cogerentur; unde tandem centuriæ illæ prodiére, quibus plurimum Ecclesia debet. Harum æmulatione Romæ Onuphrium Panvinium Veronensem Augustiniani instituti Monachum excitavit in eandem curam, cujus cœptæ Baronius pertexuit. Seriùs eadem diligentia ad civilem Historiam scribendam translata est. Nam (ut Germanica nunc tantum attingam) Georgius Agricola, (cujus laboribus Georgius Fabritius usus est) & Johannes Aventinus (qui sua ipse produxit,) habebant quidem egregia collectanea, quibus ille Saxonum, hic Bajoariorum res illustraret; sed contenti nominasse summatim autores suos & succum expressisse, cætera tanquam superflua ex hominum oculis removerunt. Idem fecerat Albertus Cranzius ante ipsos. Sed postquam ad examen processit posteriorum curiositas, apparuit, quàm crebri lapsus admissi essent, quàm multa ex ingenio magis aut præjudicio quàm rerum habitu processissent. Primum in Germania Reinerum Reineccium reperio, Juliæ Brunsvicensium Academiæ insigne decus, qui fidem dictis fecit autores suos minutatim ad testimonium citando. Ejus exemplum in eodem loco Henricus Meibomius successor non impar secutus est. Idem ad Rhenum Freherus, ad Danubium Gewoldus & Herwartus factitarunt. Cæteros non memoro, increbescente jam laudabili more.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ut ipsi scriptores vetusti corrogarentur, & inde conficeretur Historia, cui fidi posset; Maximilianus Imperator in Germania cogitasse fertur. Ita Joh. Stabius ejus familiaris Melanchthoni narravit, (ut hic refert in præfatione ad Ursbergensem) constituisse Cæsarem certis doctis hominibus mandata dare, ut collectis undique Germanicis Chronicis, quia alius alia annotasset, ex fragmentis illis Germanicam Historiam integram componerent. Putem ea in re Johannis Trithemii Abbatis Spanhemensis ipsi in pretio habiti consilia secutum, quem talia agitasse, discimus ex Paulo Langio Historico Citizensi. Is enim Trithemii jussu Historiæ causa itinera se obiisse scripsit. Vir insignis fuit Trithemius, sed existimationis magnæ magis quàm integræ; omnium calculos meriturus, si solida laude contentus, inanem per figmenta non affectasset. Erat enim nec Matheseos nec Chemiæ expers: sacra autem eruditione nulli tunc sui ordinis facile cedebat; & in Historia plane regnabat, quàm potuisset castam dare ex tot Codicibus, quos viderat legeratque rara, sive industria sive felicitate, quàm nunc quoque ubi omnia fere scrinia expilata sunt, admiramur. Sed ille ut Magi famam in naturali scientia quæsivit, ita in historia pulchrum putavit Principum studiis illudere per plausibiles fabulas, confecto Hunibaldo & similibus nugis, genealogiisque ultra comperta productis: Idque ipsi non obscurè à Friderico Sapiente Saxonum Duce, Imperii Electore exprobratum vidi. Maximilianus ipse Cæsar Genealogiis inprimis delectabatur, nec Historiam minus quàm cæteras liberales artes fovebat. Nam eum constat Viennæ Austriæ collegium Poëtarum sub Conrado Celta & aliud Mathematicorum instituisse, extatque diploma Tomo secundo Freheri. Iisdem aut vicinis temporibus etiam Hermannus Comes Nuenarius, Bilibaldus Pirckeimerus, Conradus Pentingerus, Jacobus Wimphelingus, Henricus Bebelius meliorum literarum simul & Historiæ patriæ studio floruêre. Hos secuti sunt Philippus Melanchthon, Beatus Rhenanus, Huldericus Mutius, Caspar Bruschius, Ortwinus Gratius. Et cum Lux Reformationis exorta esset, excitata est magis hominum curiositas: nam Reipublicæ & Ecclesiæ negotia à se invicem divelli non possunt.

Factum erat divino munere, ut Typographiæ inventum, & bonarum literarum introductio in Germaniam, & Reformatio sacrorum sese ordine consequerentur, non magno intervallo; & tanta commoda mutuo sibi auxilio essent. Jam veteres plurimi typis prodierant, cum de mediæ ætatis Historicis cogitari paulatim cœpit, qui elegantia & argumento & fama inferiores, minus curiositatem lectorum invitabant; sed non minus necessarii erant ut temporum series expleretur. Jam anno 1505 Conradus Celtes inter cætera Roswitæ Poetriæ Saxonis, apud Gandeshemenses Sanctimonialis etiam Ottonis Magni elogium carmine Latino scriptum edidit. Peutingerus Conradi Ursbergensis Abbatis Chronica in lucem misit anno 1515. Eodem Johannes Cuspinianus Ottonem Episcopum Frisingensem produxit. Mox anno 1521 Carolo Quinto Hermannus Nuenarius Comes Eginhardum inscripsit. Eidem eodem tempore Reginonem Abbatem Prumiensem Sebastianus de Rotenhan Eques Francus dicavit. Melanchthoni inter cætera beneficia debet Germania, hæc quoque studia excitasse non hortatibus tantum sed & laboribus. Nam admodum juvenis anno 1516 Joannis Nauderi Historiam ita digessit atque expolivit, ut lucem ferre posset. Mox anno 1525 Lambertum Schafnaburgem (etsi ignorato adhuc nomine) ex Codice Augustinianorum Witebergensium descriptum Tubingæ typis summisit: multo post (1537) Ursbergensis Abbatis novam editionem procuravit, ubi continuandæ Historiæ accessere paralipomena, quæ Caspari Hedioni tribuuntur. Suprema jam ætate (1556) Philippus Helmoldi Chronica Slavorum typographo excudenda dedit. Ne de Carionis Historia emendata atque aucta nunc dicam.

Ex eo tempore complures in laudabile institutum eruendi nostros medii ævi Historicos incubuere, quos nominibus perstringere suffecerit: Basilius Johannes Heroldus, Simon Schardius, Justus Reuberus, Christianus Urstisius, Andreas Vellejus Danus, Reinerus Reineccius, Petrus Pithœus (etsi Franco Gallus) Henricus Canisius, Marcus Velserus, Joannes Pistorius, Marquardus Freherus, Christophorus Gewoldus, Henricus Meibomius senior, Melchior Goldastus ab Haiminsfeld, Seb. Tengnagelius, Jacobus Gretserus, Christophorus Browerus, Joh. Chappeauvillæus Leodiensis. Tum Aub. Miræus, Petrus Scriverius & Arnoldus Buchelius Belgæ, sed quos Germanis computo; & Franco Galli Andreas & Franciscus Quercetani, Jacobus Sirmondus, Phil. Labbæus, Andreas Dacherius, Johannes Mabillonius, Stephanus Baluzius & qui Acta Sanctorum (post Laurentium Surium) ediderunt eduntque Johannes Bollandus cum sociis & successoribus Godefrido Henschenio, Daniele Papebrochio, Francisco Baertio, Conrado Janningo, quibus nuper accessit Johannes Baptista Solierius, quos in rebus Germanicis plurimum adjuvit ex eodem ordine Johannes Gamansius. Præterea in eandem curam edendi antiquiores incubuere Hermannus Conringius, Joh. Henricus Bœderus, Petrus Lambecius, Johan. Henricus Maderus, Johannes Schilterus, Christophorus Hartknochius, Antonius Matthæus Junior, Joh. Kirchmannus Junior; & talium nos exempla secuti paucos, ante annos Accessiones Historicas edidimus, in quibus scriptores aliquot inediti, & plerique diu expediti tandem prodierunt, habemusque adhuc materiam non unius Tomi τῶν ἀνεκδότων.

Nunc

Nunc constituimus scriptores aliquot uno fasce complecti, quibus Historia Brunsvicensis *illustretur; partim ineditos prorsus, partim ex Manuscriptis Codicibus emendatos & auctos; quibus nonnulli accedunt, quos renovamus tantùm, quia in paucissimorum manibus versantur, faciuntque egregiè in rem nostram. Ea in re Melchioris Goldasti & Petri Scriverii & Erpoldi Lindenbrogii exemplum secuti sumus, quorum ille Alamannicarum (id est, Sveviæ Helvetiæque) alter Belgicarum, hic Septentrionalium rerum scriptores propriis voluminibus dedere, quemadmodum Normannicarum Andreas Quercetanus, Neapolitanarum Ant. Caracciolus, Longobardorum ulteriorum Camillus Peregrinus, citeriorum Felix Osius: speramusque exemplo nostro excitatum iri, qui idem in aliis Germaniæ regionibus præstent. Nam Austrii, Bavari, Bohemi, Francones, Saxones Superiores, Marchici Rhenani, Westfali; quin etiam illustriores Principum Germanicorum familiæ non spernenda spicilegia invenient domi suæ, quibus in publicum prolatis & gloriæ suæ & publicæ utilitati velificentur. Nos simul & Regionis Brunsvicensis & Familiæ regnantis rationem habemus, collegimusque, quæ utriusque historiam illustrent.*

Sed ut meliùs noscatur institutum, sciendum est, Brunsvicensi & Luneburgensi ditione maximam partem Ostfaliæ veteris contineri; cujus Ducatum mutato nomine retinuisse aut recuperasse Henrici Leonis posteros, Westfalico licet & Angarico in Bernardum Ascanium & Coloniensem Ecclesiam à Friderico I. Cæsare translatis non ineptè dici potest; quanquam & ex Angaria Comitatus aliquot post limitio redierint, ipsaque ditio Osnabrugensis accesserit alternis. Equidem rationes à Ducatu separatas in Saxonia ab antiquo habuere Episcopi & Marchiones, & Comites Provinciales, ne quid de veteribus Saxoniæ Palatinis dicam. Itaque neque Orientalibus neque Septentrionalibus Marchionibus, id est, Misnensibus Brandeburgicisque, neque Thuringis propria huc admisimus: præsertim quòd Marchiones isti non in antiqua Saxonia sed Slavorum terris constituti erant, Magdeburgicus etiam Archiepiscopatus cum suffraganeis ad Slavos pertinebat. Sed Halberstadensium, Verdensium, Mindensiumque Episcoporum res excludi non potuere: nam & nostrorum regiones horum potissimum diœcesibus continebantur, & passim permistæ sunt ditiones. Itaque & antiqua quædam harum Ecclesiarum Chronica nondum extantia producemus.

Sed cum nostri Principes ex Italia & superiore Germania in has tandem regiones venerint, hinc jam operis hujus latiùs materia, quam Brunsvicensis ditio patet. Seculo Christi undecimo florebat in Italia Marchio Azo potentissimus Longobardiæ Princeps, quem cum magna illa Mathilde Ducatrice (ut tunc appellabatur) inter Cæsarem Henricum Quartum & Gregorium VII. Pontificem Romanum Conciliatoris partes egisse constat: paulò ante finem seculi centenario major obiisse scribitur. Gens ejus jam ab antiquo in illis regionibus rerum latè potiebatur, neque subito creverat. Ipse autem superum mare infero propemodum ditionibus connectebat. Marchio nunc Longobardiæ nunc Liguriæ appellatur; nempe cui Marchiam Genuæ & Mediolani ascripsit sequente seculo Fridericus I. Augustus in diplomate, quod posteris ejus Estensibus Principibus dedit. Atestina urbs vetus iis patrimium erat, vicinumque tractum versus Hadriaticum mare procurrentem continebat. Estenses *porrò vel* Atestinos *antiquissimos Italiæ principum semper habitos constat. Ipsi originem ad Romanos Atios retulere, quod neque astruere neque refellere nostrum est. Conduntur remotiora familiarum insignium capita intra nubes incompertæ vetustatis. Duxerat Azo primis nuptiis Cunigundem ex stirpe* veterum Guelforum, *quæ mox defuncto sine liberis fratre Duce Carinthiæ, terrarum patrimonialium hæres fuit. In Epitaphio antiquo scribitur, eam Regali stemmate fulsisse. Sanè ex illa stirpe prodierant Burgundiæ Reges, & sunt, qui etiam Capetinam, Gallicorum Monarcharum familiam ex Judithæ Imperatricis (Ludovico pio nuptæ) Gvelfi filiæ fratre deducant. Porro ex Cunigunde Azo Gvelfum novorum Gvelforum autorem suscepit, qui ultra majores maternos paternosque magnitudine provectus obtinuit Bavariæ Ducatum. Gvelfus filium cognominem celeberrimæ illi Mathildi despondit, & licet matrimonium infœcundum fuisset, tamen ex pactis dotalibus terras postea Mathildis sibi vindicarunt posteri Gvelfigenæ, & aliquamdiu etiam tenuerunt. Azo defuncta Cunigunde rursus insignium terrarum hæredem secundis nuptiis duxit ex Gallia Garsendim, Comitissam Cenomannorum; unde viri prudentiam & existimationem intelligas. Ex eo matrimonio Hugo & Fulco nati, quorum ille Comitatum maternum obtinuit; sed Fulco stirpem in Italia propagavit &* Marchiones Estenses *sevit, qui mox* Ferrariam, Mutinam, Regium *ex veteri Mathildis ditione acquisiverunt, & tandem* Ducatus *axioma obtinuerunt. Etsi autem liberi conjugiaque Azonis malè prorsus ab Historicis Atestinis aliisque eos secutis narrentur; ignorata secunda conjuge vera, alia secunda tertiaque confictis; filiorum etiam depravatis nominibus, ordineque matrimoniorum perverso; tanquam Gvelfus Dux primogenitus non fuisset: nos tamen quæ proferimus, ex certis documentis veterumque testimoniis comperta habemus. Guelfi filius alter, nomine Henricus, in Ducatu successor, Wulfhildem Magnonis Ducis Saxonum, suæ stirpis ultimi filiam duxit. Inde novam rerum seriem fata aperuère. Nam ex eo matrimonio natus Henricus alter, cum Lotharii*

 Impe-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Imperatoris filiam unicam duxisset, Saxoniæ Ducatum Bavarico adjunxit. Itaque cum fratre terras Mathildis Italorum Principis, ex patrui pacto, Imperatoris ope nactus, à mari ad mare, à Balthico ad Tuscum se dominari dictitabat. Et defuncto socero in Imperio successurus erat, si prensare Principes voluisset: Inde Superbi nomen tulit. Cumque & moribus & potentia invidiam concitasset, pulsus Bavaria & tantùm non Saxonia in ipso recuperandi conatu obiit, filio impubere relicto Henrico, qui postea Leonis nomen tulit, cui avia Imperatrix Ducatum Saxoniæ servavit. Idem adultus Bavariam recuperavit, Austria tamen multatam; quæ cum Marchia olim Bavariæ esset contra Hungaros, tunc in proprium Ducatum Friderici I. beneficio erecta est. Id solatium Bavariæ usurpatori relictum. Henrici Leonis magnitudinem eorum temporum autores celebrant, neque animo aut virtute infra potentiam fuit. Sed fortunam postremo inquam sensit, & Imperatoris multorumque Principum conspiratione oppressus est. Tenuit tamen Brunsvicenses Luneburgensesque, & nonnullas etiam Slaviæ terras. Idem ex Mathilde filia Henrici II. Angliæ Regis filios reliquit Henricum, Ottonem, Wilhelmum. Henricus, ducta filia & hærede Conradi, qui frater Imperatoris Palatinatum Francorum habebat, sese Ducem Saxoniæ & Comitem Palatinum Rheni tulit. Otto quarti nomine factus est Imperator Romanorum, cum antea voluntate aviæ Alionoræ Ducatum Aquitaniæ & Comitatum Pictaviensem nactus fuisset. Nam cum fratribus ob matrem, Henrici II. Regis maximam natu filiam, successioni Anglicæ proximus habebatur, nisi unus Henricus III. consobrinus obstitisset. Sed neque Henricus neque Otto stirpem Guelficam propagarunt. Tertio id fratri Wilhelmo debetur. Filius ejus unicus Otto cum Cæsare Friderico II. transegit, Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis nomen sumsit, oblatum à Papa Imperium recusavit, quod patrui Ottonis IV. male habiti, meminisset. Ita finita est in Germania inter Guelfos Gibellinosque *contentio. Nam Henrici Imperatores ex Wibilingia domo orti erant; & in eorum jura & affectus, & nomen per matrimonium successerant Friderici Hohenstauffii. Guelfi autem Cæsarum æmuli Pontificibus favebant Romanis. Sed odia in Germania inter Principes sopita, postea in Italia inter affectas, servatis partium nominibus, exitiosiùs erupere.* Wibelina *familia in Conradino periit:* Guelfica *nostra in Germania, contenta fortunæ reliquiis sese in meliora tempora faventibus fatis conservavit. Ex his intelligitur, præter Saxonica, etiam Italiæ, Bavariæ, Alamanniæ monumenta passim materiam basinque Historiæ nostræ præbere; neque nobis vitio verti posse, si qua inde non vulgaria mutuò sumamus in rem nostram, & huic Collectioni Brunsvicensibus rebus profituræ inferamus, qua Scriptores complectimur, in Tomis rerum Germanicarum, aut desideratos, aut non plenè extantes, autores etiam nonnullos. Diplomata, quorum magnus apparatus adest, alteri operi reservamus. Nunc autem ipsos scriptores, quos impræsentiarum damus, recensere operæ pretium erit.*

I. Excerpta Veterum Scriptorum de populis ad Albim & Visurgim, notis illustrata.

C*Oepimus ab Excerptis nonnullis ex veteribus autoribus, qui regiones populosque intra Albim & Visurgim attigere; quales,* Strabo, Vellejus, Mela, Plinius senior, Tacitus, Svetonius, Ptolemæus, Solinus, Dio, Eutropius, Ammianus, Claudianus, Hieronymus, Orosius, Zosimus, Prosper, Salvianus, Sidonius, *Notitia Dignitatum*, Ennodius, Procopius, Marius Aventicensis, Jornandes, Isidorus, Geographus Ravennas; *Tum* Gildas, Nennius, Beda, Chronographus antiquus Anglo-Saxonicè scribens; *& apud Francos* Venantius Fortunatus, Gregorius Turonensis, autor vitæ S. Faronis, Biographus Dagoberti; *Denique posteriores: Paulus Diaconus, Eginhardus apud Adamum Bremensem, Aimoinus, Witikindus Corbejensis. Ex quibus ea potissimum lucem afferunt in antiquissimis, quæ Plinius & Tacitus habent, ambo de propinquo periti rerum Germanicarum. Nam ille adiit Chaucos, & bella cum Germanis viginti libris descripsit: hic Belgicæ procurator libello de moribus Germanorum tribuit nostræ genti, quod demtis Hebræis, Græcis, Romanisque, & fortasse Ægyptiis Persisque nescio an alia in omni antiquitate nacta sit, accuratam regionis populique descriptionem. Aspersi passim notas his veterum excerptis, in quibus videor mihi* vexatum Taciti de Getmaniæ Etymo locum *in clara satis luce collocasse.* Fossos *Tacito memoratos, & à Cluverio trans Albim remotos, patriæ suæ, amni Fusæ, prope Cellas nostras in Alleram influenti vindicavi. Cheruscorum etiam, Chaucorum, Longobardorum veros fines designavi; in Westphalia Bructeros, Angrivarios, Amsivarios, Dulgibinos, Chasvaros, ab Eximiis viris disjectos (pag. 11.) suis locis restitui. Errorem de Mattiacis sustuli (pag. 10.) quorum vera sedes in Wedderavia; sed corrupta lectione pro Marsaciis in Batavorum viciniam transferebantur. De Danis etiam fortasse non malè meritus videbor. Nam antiquissimam eorum mentionem annotavi, & laudes vetustissimorum Saxonum cum ipsis communes ostendi, & originem nominis vetustate obrutam non improbabiliter erui, indicio Anonymi Ravennatis nuper à Porcherono viro docto emis-*

emissi, cujus ænigmata quædam Porcherono impervia dissolvimus. Hunc Geographum vir egregius Jac. Gronovius nuper reddidit incudi. Notæ pleræque in Gildam & Nennium Thomæ Galæo V. Cl. debentur: nonnulla nos addidimus. Interdum nomen ipsius ascriptum, interdum nostra uncis inclusa. Factum est tamen festinatione nescio qua, ut non semper ipsius à nostris annotationes discernerentur. Ad Bedam de mensium Saxonicis nominibus loquentem nonnulla congessimus, quæ ad Deos pertinent nostrorum majorum, id est, summas antiquitates. Plerumque enim sub fabulis Deorum aliquid veræ Historiæ latet: quibus si conjungantur, quæ diximus ad Tacitum pag. 8, 9. fortasse non spernenda conjectura videbitur de Teutatæ Arimaniive ex Scythoceltis expeditionibus in orientem; & de Wodino vel Odino Saxone per septentrionem aliquando imperante, & mox in Deum verso, de quo addi possunt dicta nobis pag. 33, 45.

II. Lex Saxonum.

III. Lex Angliorum & Werinorum.

ABsolutis Excerptis exhibuimus Legem Saxonum antiquam, ut Caroli Magni jussu in scripturam redacta habetur, similemque ei (pag. 81.) Legem Angliorum (Cismarinorum scilicet) & Werinorum. In his legibus nonnulla intacta reliquerat Fridericus Lindebrogius, vir doctissimus, qui post Heroldum edidit: quæ omnia, ni fallor, explicata dedimus. Nonnulla ex his fluxere in posteriores Saxonum leges, quas Eppo de Kepko compliavit Sec. XIII. & nunc Speculi Saxonici nomine noscuntur, cujus magna fuit in toto septentrione autoritas. Cæterum antiquæ illæ leges ex barbarorum consuetudinibus sumtæ erant, quas reliquerant ipsis Reges Francorum, nisi manifesta iniquitate laborarent. Sed errabit, qui inde eximia quædam æquitatis & prudentiæ documenta sperabit. Legibus Saxonum adjici potuissent Capitula Caroli de partibus Saxoniæ, *quæ Ferdinandus Padebornensis & Monasteriensis Episcopus, doctrina non minus quam dignitate Princeps, ex Vaticano Codice descripta Roma attulit edique curavit; Baluzius etiam Capitularium corpori inseruit, sed serius hoc in mentem venit. De Werinis & Anglis diximus ad Tacitum pag. 13. & ad Procopium pag. 15.*

IV. Altfridi Episcopi Monasteriensis Vita S. Ludgeri.

V. Excerptum ex Litaniis Rythmicis vitam S. Ludgeri continentibus, Werthinæ scriptis.

VI. Chartularium Werthinense.

LEges Saxonum sequatur vita Ludgeri, primi Monasteriensium Episcopi, ab Altfrido antistite ejus sedis tertio scripta. Ejus operis Codicem antiquum in Bibliotheca Augusta Guelferbytana inveni; unde auctior emendatiorque prodit. Ludgerus non de Westfalis tantum, sed & de Ostfalis nostris bene est meritus. Nam ut Werthinense in Westfalia, ita in hoc nostro tractu Helmestadiense Monasterium fundavit, quod ab illo pendet. Helmestadium oppidum à vicina Elmi sylva dictum sub Abbatis sui jure olim fuit, quod ille tandem transtulit in Wilhelmum Juniorem Ducem Brunsvicensem. Vita Ludgeri nobis quædam de Widikindo Saxonum Duce conservavit, quæ alibi non leguntur. Adjecimus Excerptum ex Litaniis rythmicis vitam S. Ludgeri continentibus apud Werthinenses scriptis, in quo agitur de Monasterio Helmestadiensi ab eo fundato. Extant hæ Litaniæ apud ipsos cœnobitas Helmestadienses, & humanitate Admodum Reverendi Priori inspectio earum concessa est. Sequuntur traditiones Werthinenses, antiquitatis Saxonicæ non contemnendum monumentum, id est, variæ Tabulæ contractuum, quibus Ludgerus ipse prædia monasterio suo Werthinensi à vicinis ingenuis obtinuit. Ex Codice Isaaci Vossii nactus Daniel Papebrochius mihi transmisit, quem ego virum felici ophthalmici opera visum ex integro recepisse, & præclarum opus pristino vigore urgere gaudeo. Prosunt hæ Tabulæ ad refellendas falsas Episcopatuum Germaniæ origines. Nam plerique Osterwicensem postea in Halberstad. (sic fertur) translatum, anno Domini 777, Monasteriensem autem anno 784. fundatos scribunt; cum tamen Ludgerus, prius non nisi Presbyter, anno 798. primum & anno 801. postremum in nostris Traditionibus Abbas, & primum in iisdem anno 805. Episcopus appelletur: & frater ejus Hildegrinus seriùs adhuc ad Halberstadiensis Ecclesiæ regimen pervenerit. Certe anno 796. in iisdem Tabulis adhuc vocatur Diaconus. Conferri hæ traditiones cum Fuldensibus possunt ejusdem & paulo majoris antiquitatis, quas Pistorio editori debemus.

VII. Poetæ Saxonis Annales Caroli Magni.

SCriptor idemque Poeta, gentis Saxonicæ primus, quod sciam, is est, quem edidit Reineccius, nos ex Codice authentico membranaceo Bibliothecæ Juliæ recensuimus, adjuti à V. Cl. Hermanno von der

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hardt, Præposito Mariebergensi, Professore Linguarum Orientalium & Bibliothecæ Præfecto. Hunc Codicem Reineccio in manibus fuisse non satis apparet, & suspicor, non nisi apographo ejus usum, in quo conficiendo librarius aliquam sibi mutandi licentiam sumserat. Eò libentius iterum edidimus, præsertim cum in paucorum manibus versetur non inelegans pro illo tempore scriptor, quem apud Padebornenses egisse nescio unde Reineccio compertum. Arnulpho Imperatori æqualem sese testatur ipse. Cæterum autor iste bella Caroli in Saxonia atque adeò in Ostfalia nostra per annorum seriem exponens, nostro instituto inprimis convenit.

VIII. Vita S. IDAE.
IX. Translatio S. Pusinnæ ad Hervordiam Westfaliæ, cura Abbatissæ Hadwidis, natæ ex filia Ecberti & Idæ.

Vita S. Idæ ab Uffingo Monacho Werthinensi scripta, & à Surio primum edita, continet res notatu dignas de Saxonum Duce post Witikindum primo, ejusque familia. Ecbertus is fuit, Idæ maritus, qui etsi stylo curiæ Comes tantum, Ducis tamen potestate & apud vulgus nomine sub Ludovico Pio Saxoniam rexit: ut solebant Dominici Missi: & ejus opera Saxones Transalbini, Caroli Magni antea jussu trans Rhenum exulantes, in patriam sunt reducti. Nam Carolus, quod crebro rebellarent, & ob Danorum vicinitatem vix in potestate contineri posse viderentur, renovato veterum Assyriorum exemplo, aliquot eorum millia cum uxoribus & liberis in Belgicam transtulerat: sed postea, cum jam bona fide Christiani & obnoxii viderentur, Ludovicus ejus filius exules domum remisit. Albertus Stadensis antiquiores secutus, (quales nondum editi etiam nobis sunt ad manus) Wicbertum quendam Ducem habet, & Witikindo filium tribuit, quem verè non dixerim, neque an nostrum Ecbertum hoc nomine paulum inflexo involverit. Sanè postea Ludolphum Ducem Henrici Aucupis & Ottonum Augustorum progenitorem successisse inditiones Ecberti, ex eodem discimus Uffingo. Unde suspicio est, ab Ecberto descendisse Ludolphum, vel certè ejus liberos; per mares an per fœminas, pro certo affirmari non potest. Sanè Albertus Stadensis eum continua masculorum serie ex Wicberto Witikindi filio deducit. Sed obstat, quod Witikindus Monachus Corbejensis scripsit, conjugem Henrici Aucupis ex stirpe Witikindi Ducis vel Regis descendisse, idem dicturus & de marito, si eam Ludolphi originem novisset. Ecberto & Idæ geniti fuere, Cobbo Comes, Warinus Abbas & Hadwid Abbatissa. Sanè Cobbonem Warini fratrem facit Egilmarus Episcopus Osnabrugensis in querimoniis, quarum excerptum extat apud Erdmannum rerum Osnabrugensium scriptorem. Warinum autem Ecberti & Idæ filium nominant Uffingus, & translationis Pusinnæ scriptor, qui & Hadwidem Warini sororem facit & Cobbonis. Porro Cobbo magnæ sub Ludovico Germanico per totam Saxoniam autoritatis fuit. A quo extinctam Comitum Teclenburgicorum familiam derivant. Warinus Abbas Corbejæ Saxonicæ, Adalardo successit; juniori scilicet per quem Adalardus senior & Wala frater ejus, Caroli Magni consobrini, Corbejam novam ædificaverunt & rexerunt. Annales Corbejenses à Cl. Paulino editi Warinum nobilem Francum & Adalardi Junioris fratrem faciunt, quod postremum & alii habent: sed his, quos damus, scriptoribus, tanquam propinquioribus, quemadmodum & Egilmaro Episcopo, libentius crediderim, Warinum Saxonem fuisse, non Francum, etsi mater Franca esset. Idam ergo patre Comite natam scribit Uffingus, qui à Pipini & Caroli Magni progenitoribus se ferebat, & fratres habebat Clarissimos viros, qui magnis dignitatibus illustres apud exteros & apud domesticos enituerunt, ut loquitur scriptor translationis Pusinnæ. Quinam illi Magno Carolo cognati, non facile definiveris. Si Bernardus Frater Pipini I. Regis Idam genuisset, fratres Idæ fuissent ipse Adalardus Senior & Wala; Sed hos ab illis distinguit Scriptor ipse translationis. Neque tantum Idæ aut Warini decus Uffingus & Corbejenses Saxonici ignorassent aut tacuissent; Adalardi tamen & Walæ matrem Saxonem facit, qui vitam Walæ posteris reliquit, & hunc ex Saxonum genere, materno scilicet, ortum scribit. Unde credo ipsi fratrique necessitudines in Saxonia, & cogitatio de condenda apud Saxones nova Corbeja. Quoniam ergo Ida non fuit horum soror, neque adeò Carolique Magni consobrina, an altiùs assurgendo, dicemus, patrem ejus fuisse Nebelungum Matriacensem Comitem Childebrando natum, quem Caroli Martelli fratrem (ex patre an matre ambigunt quidam) Fredegarius facit? an Theodericum, Regiæ & ipsum cognationis, quem quidam Nibelungi fratrem volunt, magnæ apud Carolum Magnum autoritatis, & Ripuariis Præfectum, qui Westfalis proximi erant. Nibelungi per filium cognominem nepos tertius Nibelungus fortasse is est, quem Roswita poëtria Saxonica Bilungum vocavit, patrem Odæ, quæ fuit uxor Ludolphi, Saxonum Ducis, à quo Ottones Cæsares descendunt; quos ab Ecberto ortos non semel sum suspicatus, quando & in hæreditariis terris & in Ducatu Ludolphus successit. Hæc fusius disserere operæ pretium fuit, quia primorum Saxoniæ Ducum res illustrant. Porro Pusinna sancta & virgo in Catalaunensi diœcesi celebratur, quam vixisse ajunt seculo Christi quinto sedente Albino I. Episcopo Catalaunensi. Ejus corpus à Carolo Calvo Francorum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rum Occidentalium Rege cognato suo impetravit Hadwidis Ecberti & Idæ filia, prima Herfordiensis in Westfalia Virginum Monasterii Abbatissa, ut hoc in recens structam Basilicam inter alias Sanctorum reliquias pro illorum temporum more inferret anno Christi 860. Translationis Historiam ex Manuscripto Bodeccensis Monasterii ab insigni viro Daniele Papebrochio in Sanctorum Actis ad 23. Aprilis editam, ob momentum & brevitatem huc transferendam judicavi.

X. Legenda de Sanctis Martyribus interfectis in Hamburgh & in Ebbekestorp reconditis.

XI. Fragmentum est Martyrum in Ebbekestorp quiescentium Passione.

Hæc etsi minoris pretii: quia tamen ex manuscriptis eruta, illud ex Helmestadiensi, hoc ex Antverpiensi, quod R. P. Papebrochius communicavit, adjicienda putavimus. Fabulosæ sunt narrationes maximam partem, è merito à Cranzio confutatæ; cui tamen intelligendo atque illustrando servient, quamquam & ipse multa correctione indigeat. Illud summatim verum est, Anno Domini 872. Brunonem Ducem Saxonum, Ludolphi filium, à Normannis adhuc paganis circumfusum, cum multis Comitibus & aliquot Episcopis periisse: occisorum corpora apud Ebbekesdorfium tumulata & pro martyrum reliquiis honorata; cultum etiam defunctis fuisse exhibitum, tanquam fidei in Christum testandæ causa periissent. Inde Legendæ martyrum in Ebbekesdorf, nunc Ebsdorf Luneburgensis Ducatus, ubi Monasterium virginum hodieque est, quæ Benedictini ordinis olim habebantur. Duos Episcopos memorant veteres, Theodericum Mindensem & Marcwardum Hildesbemensem: recentiores addunt multo plures. Legendæ nostræ pro Normannis id est Danis Slavos substituunt, non rectè, quanquam nil prohibeat de vicino (cum res prope Hamburgum gesta videatur) ex Wagriis & obotritis & Wilzis adhuc paganis, colluviem prædonum Normannis accessisse, & captivos per Slaviam divenditos. Sanè veteres Annales Hildesbemenses & Eckehardus Uragiensis in Chronico Episcoporum Hildesbemensium ajunt, Marcwardum à Slavis occisum. Dux hostium priori legendæ Baruch, posteriori rectiùs Haruch, id est, Horicus vel Ericus dicitur. Quo ipso confirmatur, quod alius Ericus, ex Pomeraniæ Principibus Daniæ Rex, in Historia gentis Danorum scripsit, Erik Barn Regem vastasse Saxoniam, Brun Ducem & XII. Comites occidisse.

XII. Supplementum hiatus Annalium Fuldensium.

Hoc cum in eo codice invenerimus, ex quo posteriorem legendam sumsimus, subjicere hic placuit, ne periret, etsi ad res nostras non pertineat; præsertim cum perbreve sit. Quædam corrupta, nam lin. 12. pro interdum *leg.* interim, *pro* Coruntanum *leg.* Carantanum, *id est, Corinthiam, pro* Pascha diu celebrandum, *leg.* ad Paschæ diem celebrandum.

XIII. Vita B. Mathildis, Reginæ Germaniæ.

Sperabamus Manuscriptum codicem, cum quo hanc vitam conferremus, sed ea spes decollavit. Omittere tamen fas non fuit, cum egregiè res nostras illustret, nec nisi in actis Sanctorum Antverpiensibus extet; communicata à Joanne Gamansio amico olim nostro, societatis Jesu Theologo, cujus præclara destinata scribendæ Metropolis Moguntinæ, ipsius morte interciderunt. Nonnulla tamen collectanea & observata, ad sanctos Germaniæ viros pertinentia, Antverpiensium collectorum, *præclare de literis meritorum, beneficio sunt conservata. Gamansius hanc vitam eruerat ex veteri codice Coloniensi Monasterii S. Pantaleonis. Autor regnante Henrico sancto vixit, ut ipse testatur. Mathildis Regina conjux fuit Henrici I. Regis Germaniæ ex vetustissima* Brunsvicensium *Principum stirpe. Nam Henrici Regis patrui duo, Bruno & Tancmarus vel Tankwardus: ille Brunswiga, hic Tankeroda, quæ postea cum Brunswiga in unam urbem coaluit, conditores fuisse scribuntur. Regina autem Mathildis fuit ex stirpe Witikindi Magni. Ita enim Witikindus Corbejensis Monachus lib. I.* Erat namque ipsa Domina Regina filia Thiaderici, cujus fratres erant Witekind, Immed, Reginbern. Reginbern autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernum. Et hi erant stirpis magni Ducis Widekindi, qui bellum potens gessit contra Magnum Carolum per triginta ferme annos. *Hunc locum Albericus Monachus trium fontium (quem nos edidimus) & Vir in his studiis egregius, David Blondellus, ita accepere, tanquam Witekind, Immed, Reginbern, Thiaderici fratres fuissent: at Gobelinus Reginæ ipsius fratres facit. Ab Immedo & Immedingis Sabaudiæ Duces genus repetunt, Amadæorum frequens in sua gente nomen huc referentes. Idem Gobelinus Thiadericum vocat Comitem Oldenburgen-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſem, quem Magni Chronici Belgici Autor & Schiphowerus in Chronico Oldenburgenſium Comitum, nuper à Meibomio edito, ſunt ſecuti. Nec diſſentit noſter vitæ ſcriptor, qui in occidentali Regione, id eſt, Weſtfalia, Comitem glorioſum fuiſſe notat. Mater Reginæ Reinhildis Ditmaro & noſtro Biographo dicitur, qui addit Danorum Friſonumque germine procreatam. Unde Manuſcriptum Chronicon, Gelenio ad vitam S. Engelberti citatum, ineptores in majus augendi more, Danorum Friſiorumque Regis filiam procudit. Ex noſtro autem Biographo, fido magis autore, diſcimus, aviam Reginæ (paternam opinor) Mathildem nomine, Abbatiſſam Herfordienſem fuiſſe, & adoleſcentulam neptem inter Sanctimoniales ſuas educaſſe. Sorores Reginæ, ſcriptoribus ignotas diesque anni, quibus & illæ & mater earum obiere, Faſti Eccleſiæ Principis Trevirenſis nobis conſervarunt, unde hæc affert Browerus: Annalium Trev. lib. X. artic. 4. Prid. Id. Mart. Mathild Regina mater Ottonis Imp. V. Id. Maji Reinhild mater Reg. Mahtildis. IIII. Id. Jan. Friderun ſoror Mahtilt Reginæ. VIII. Kal. Jun. Bia ſoror Reg. Mahtildis. *His ſcilicet diebus memoria eorum in Trevirenſi Eccleſia ſolenniter renovabatur; credo quòd Regina ſuis in eam Eccleſiam beneficiis hoc meruiſſet, vel hanc pro more illorum temporum conditionem aſcripſiſſet, ut pro anima matris & ſororum preces funderentur. Porro Monaſteria probantibus & adjuvantibus marito Rege & filio Imperatore Ottone M. conſtruxit in locis, vitalitio ſuo aſſignatis, Quidelingaburg, Northauſen, Palithi; ex quibus duo priora ſanctimonialibus, ultimum monachis colendum dedit, præſcripta omnibus regula S. Benedicti. Quidelingeburgenſis Abbatiſſa hodie locum inter Principes Imperii tenet. In Northuſanum cœnobium Canonici regulares multo poſt ſunt introducti. Palithi hodie Polda, præfectura eſt in Electoratu Brunſvicenſi.*

XIV. Summa Capitum, ex quibus conſtant tres libri Widukindi Corbejenſis Monachi, qualis legitur in Codice antiquo Bibliothecæ Caſinenſis.

XV. Variæ lectiones ex Widukindi Codice Archivi Electoralis Dreſdenſis.

XVI. Hiſtoriæ Witichindi editæ Baſileæ collatio cum M S. Bibliothecæ Caſinenſis.

Cum à Viro inſigni Laurentio Zaccagnio, *Bibliothecæ Vaticanæ nunc primo Cuſtode, olim didiciſſem, in Celeberrimo Monaſterio Caſinenſi extare Codicem antiquum Hiſtoriæ Saxonum, quam Wituikindus Monachus Corbejæ novæ tribus libris complexus eſt, inque eo haberi Capitulorum argumenta, quæ alibi non leguntur, exſcribi ejus opera impetravi. Poſtea etiam idem rogatu meo collationem totius operis cum Editione Herwagiana procuravit. Interea etiam Wilhelmus Erneſtus Tenzelius, Conſiliarius & Hiſtoriographus ſereniſſimi Regis Poloniæ, Saxoniæ Electoris, multa doctrina & variis operibus cognitus eruditis, ſuam collationem Codicis in Archivo Electorali extantis cum editione, Meibomianis Tomis inſerta, ad me transmiſit, & quasdam notulas aſperſit. Atque inprimis obſervavit, Urbem ab Henrico I. in expeditione contra Dalemincios Slavos captam, memorante Witikindo lib. I. in Codice Dreſdenſi vocari urbem, quæ dicitur* Kietni, *quod ipſe interpretatur* Köten, *Anhaltinæ hodie ditionis. Sed Meibomius legit Urbem, quæ dicitur* Grona, *& notavit, Ursbergenſem legiſſe Grava, Sigebertum Gana: & hoc modo legitur etiam in Codice Caſinenſi. Annales Francorum & Saxonum, quos ineditos habeo, ad annum 927. habent Grana. Albinus in Chronico Miſnico (pagina 78. 95. 145.) ambigit inter Geiten Opidum & Grunam ad Muldam infra Eulenburgum. Ubi hodie trajectus, olim Opidum eſſe potuit. Sed & Gana vel Jana eſt ad rivam Hanam in Dalemincii fluentem. Itaque nondum ſublata eſt dubitatio. Sed ambo Codices, Dreſdenſis & Caſinenſis, conveniunt in memorabili correctione textus eodem lib. I. qui magni eſt ad Saxonum antiquitates momenti. Verba ita habent:* De legum verò varietate noſtrum non eſt in hoc libello diſſerere, cum apud plures inveniatur Lex Saxonica diligenter deſcripta. Suevi verò Transalbini illam, quam incolunt regionem eo tempore invaſerunt, quo Saxones cum Longobardis Italiam adiere, ut eorum narrat Hiſtoria, & ideo aliis Legibus, quam Saxones utuntur. *Nulli autem Suevi vel Suavi poſt Saxonum in Italiam expeditionem trans Albim habitarunt. Itaque multi hunc locum de Slavis interpretantur. Sed opportunè ex his Codicibus docemur, legendum* Suavi Transbadani, *id eſt, trans Bodam amnem, qui ex Hercyniis montibus ortus, Quedlingburgum alluens, in Salam mergitur. Eſt autem illic pagus* Suavia, *qui partem Halberſtadenſis Diœceſeos conſtituit, ut ex Diplomatibus conſtat. Sed hæc in ſpecimen utilitatis ſuffecerint, quæ ex his collationibus capi poteſt.*

XVII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XVII. Litaniæ binæ antiquæ in Corbeja Saxoniæ usurpatæ.

HArum posteriorem R. P. Adolphus Overham Benedictini Ordinis, vir in historia nostra eximius, & Ferdinando Episcopo percarus, mihique etiam, dum viveret, amicus, communicavit Nicolao Schatenio, Jesuitæ doctissimo, qui eam inseruit suo Carolo M. Romano-Catholico contra Christianum Nisanium Bilefeldensem Superintendentem, Carolum justo opere Pontificiis abjudicantem edito pag. 36. Extat etiam Schatenii Historia Westfaliæ & Padebornensis Episcopatus, ejusdem Ferdinandi Episcopi auspiciis scripta, docta sed sæpe partium studio manifesta. Priorem verò Litaniam edidit R. P. Dionysius Werlensis Capucinus in Philanthone, (ut scribit ipse vocem) vindicato, quo Novenam, quam vocant Antonii, ex Franciscanorum ordine inter sanctos relati, contra Conringium defendere voluit. Ambæ ex codicibus erutæ sunt, qui nunc quoque in Corbeja Saxonica extant, & testimoniis eorum, qui cum codicibus contulere, à Dionysio allatis confirmantur. Lis autem de Litaniis Corbejensibus excitata fuerat inter Theologos contraversiarios, quod Martinus Chemnitius insignis nostrarum partium doctor, in Examine Concilii Tridentini prope finem partis tertiæ, ubi de Sanctorum invocatione agit, aliam Litaniam ex Corbeja Saxonica attulisset, quæ tempore Arnulphi Cæsaris in usu fuerat, in qua Sanctorum commemoratio tantum, non verò invocatio fieri videbatur. Exempli causa: Stephano summo Pontifici salus & vita. Salvator mundi tu illum adjuva. S. Petre, S. Paule, S. Andrea, S. Clemens, S. Sixte. Exaudi Christe. *Ex tali forma suspicabatur Chemnitius invocationem sanctorum saltem apud Corbejenses seriùs receptam. Sed fatendum est, contrarium evinci ex Litaniis antiquioribus, quarum una hîc data continet vota pro Ludovico Imperatore, nempe Pio, sub quo Monasterium fundatum fuit. Arbitror ergo post compellationem (quæ utique differt à commemoratione)* Sancte Petre, *subintelligi,* ora pro nobis, S. Paule, ora pro nobis: *ne scilicet toties idem repeteretur, inque eo confirmor ex Chronico Corbejensi Lezneri ed. 2. Hildes. 1604. C. 23. ubi habetur:*

S. Petre
S. Paule
S. Andrea } *Christe ora nobis.*
S. Clemens
S. Sixte

Ubi haud dubiè vox Christe *transposita est, & post S. Petre, S. Paule &c. ora pro nobis, ponendum, Christe, exaudi nos. Et ita (omisso tamen ora pro nobis) posuerat ipse Leznerus in cap. 12. Editionis prioris ejusdem Chronici, quæ prodiit Hamburgi 1590. Observo, post preces pro Stephano Papa compellari Sanctos Apostolos & Pontifices, post preces pro Arnulfo Rege, compellari Genitricem Dei & Sanctos Angelos; post preces pro Judicibus (idest Comitibus) & omni exercitu Francorum, compellari sanctos milites, Mauritium, Sebastianum, Martinum; & Sanctum Ambrosium ex præfecto Episcopum. Denique post preces pro Bovone Abbate compellari Sanctos, qui Corbejæ speciatim in veneratione erant, S. Stephanum, S. Vitum, aliosque. Denique in editione utraque Lezneriana, ejusdem Litaniæ à Chemnitio productæ, & in editione Meibomiana, quæ adjecta est notis ad translationem S. Viti, post verba:* Arnulfo Regi vita & victoria. Salvator mundi tu illum adjuva, *subjicitur,* S. Dei Trinitas. S. Dei Genitrix, S. Michael, S. Gabriel *&c. Sed in Chemnitiana editione (saltem anni 1605. in 8. quam ad manus habeo) abest illud S. Dei Trinitas. Quod fortasse & à codicibus nonnullis abfuit, ob controversiam antiquis illis temporibus super ea re excitatam. Postremo ipsam Litaniam Corbejensium, qualis à Chemnitio exhibita est, subjicere placet, quoniam casu factum est, ut in ipsa collectione inserta non sit.*

LITANIA, EX VETUSTO
Codice collegii Corbejensis ad Visurgim descripta:

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat:
Exaudi Christe.

Stephano *summo Pontifici salus & vita:*
Salvator mundi tu illum adjuva.

S. Petre. S. Paule. S. Andrea. S. Clemens. S. Sixte:
Exaudi Christe.

Arnulpho *regi vita & victoria:*
Redemptor mundi tu illum adjuva.

S. Dei Genitrix. S. Michael. S. Gabriel. S. Raphael. S. Joannes:
Exaudi Christe.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Omnibus judicibus & cuncto exercitui Francorum vita & victoria:
Salvator mundi tu illos adjuva:
S. Maurici. S. Sebastiane. S. Martine. S. Ambrosi. S. Hieronyme:
Exaudi Christe.
Bovoni Abbati & congregationi S. Stephani *salus & vita:*
Redemptor mundi tu illos adjuva.
S. Stephane. S. Vite. S. Dionysi. S. Blasi. S. Georgi:
Christus vincit, Christus regnat,
Christus imperat.

Rex Regum,
Rex noster,
Arma nostra invictissima,
Spes nostra,
Fortitudo nostra,
Murus noster inexpugnabilis, } *Christus vincit.*
Gloria nostra,
Victoria nostra,
Liberatio & Redemptio nostra,
Defensio & exaltatio nostra,
Misericordia nostra,
Lux, via & vita nostra,

Ipsi soli imperium, gloria & potestas, per immortalia secula seculorum,
Amen.
Ipsi soli honor, laus & jubilatio per infinita secula seculorum,
Amen.
Ipsi soli virtus, fortitudo & victoria per omnia secula seculorum,
Amen.

Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

XVIII. Incerti Autoris Carmen Panegyricum in laudem Berengarii Augusti.

Hunc Poetam Anonymum Berengario I. Regi Italiæ, tandem ad Imperii culmen provecto, contemporaneum, & laudes ejus gestaque commemorantem, & in coronatione Romana finientem, nec stylo rebusque spernendum; ex manuscripto Codice Bibliothecæ Patavinæ Monasterii S. Joannis in Viridario, in itinere Italico eruit Nicolaus Heinsius; Danielis filius, doctrinæ paternæ hæres, & V. Cl. Hadriano Valesio exemplum inde sumtum transmitti curavit, qui Parisiis edidit 1663. in forma octava. Cum verò hic autor paucis notus sit, Historiamque sui temporis non mediocriter illustret; & Azonis cujusdam, Estensis (ut apparet) Principis alibi indicti, mentionem faciat; dignus visus est, qui nostræ collectioni insereretur, præsertim cum nos, in antiquitatibus Principum nostrorum explicandis, hujus temporis Historia Italica opus habeamus. Porro poëta libro 2. Virgilii imitatione, viros Italiæ insignes, Berengario & æmulo ejus Widoni auxilium ferentes, enumerans, hæc habet in rem nostram inter Berengarii auxilia:

Advolat *Azo* ferox subigens in bello sodales,
Vicinoque suas cogens ab *limite* turmas
Olricus, Latium Hadriacis qua clauditur undis,
Ac labor est sævis gladios prætendere Abaris.

Ulricus scilicet in extremo Italiæ ad Adriaticum mare limitis custos, contra Avaros seu Avares, id est, Hungaros excubabat; sive is Marchiam tenuerit, quam modo Veronensem, modo Tarvisinam vocabant, sive Ducatui Forojuliensi præfuerit. Cumque ei vicinus Azo memoretur, Estensem Principem fuisse intelligas, quod etiam Hadriano Valesio valde verisimile visum est, quando & nomen familiare genti, & situs locorum in unum conspirant. Aspersimus autem notulas breves, sed ad loca quædam difficiliora explicanda necessarias, & adjecimus Chronologiam Berengarii ab anno 887, quo

jam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

jam Rex erat, usque ad annum 916, quo imperialem coronam suscepit, cui intervallo hoc poëma includitur.

XIX. Translatio Reliquiarum corporis S. Epiphanii Ticinensis Episcopi & Confessoris, ex Italia in Hildesheim cura Otwini Episcopi.

Translatio corporis S. Viti ex Gallia in Corbejam Saxonicam, & notæ in eam Meibomianæ docent, quanti eares olim visa fuerit. Nos talia in rem nostram accersimus, ob Historiæ vestigia, quæ temporibus illis Semibarbaris pene obliterata, undecunque investigare & conservare oportet. Sanè non inutilem nobis fuisse translationem S. Pusinnæ, supra notavimus. Ex præsenti narratione (quam Browerus jam in illustribus Germaniæ sideribus evulgaverat) discimus, quæ pertinent ad Iter Italicum Otwini Hildesiensis & Landwardi Mindensis Episcoporum in Comitatu Ottonis M. ubi corpora quædam, Sanctorum credita, furati, putarunt se invenisse non quod pueri in faba. Otwino corpus Epiphanii quondam Ticinensis Episcopi cessit. Furta hæc licita imò religiosa habebantur, ut intelligimus ex Eginhardi narratione de quibusdam sanctorum reliquiis, quibus Monasteria sua ditasse videbatur. Eoque processerat credulitas, ut S. Viti translatio ex Gallia in Saxoniam augurium, ne dicam causa, translati in Saxones imperii haberetur.

XX. De fundatione quarundam Saxoniæ Ecclesiarum aliisque originibus à temporibus Caroli M. ad Ottonem M.

Hanc recensionem fundationum, in Saxonia, præsertimque in nostra Ostfalia factarum, debemus Cl. Madero. Etsi autem Chronologia in antiquioribus vacillet, Episcopatusque à Carolo M. seriùs sint fundati, quam hujus recensionis autor cum vulgò sibi persuadet: insunt tamen non pauca utilia; præsertim cum autor, velis, unde ipse transcripsit, non multo Ottonibus posterior videatur: quòd ex eo æstimes, quia nihil illis posterius attingit. Unicus enim locus de origine Comitatus Hoyensis anno Domini 1203, ab aliquo recentiore insertus meritò judicatur. Notabile imprimis est, Monasterium in monte Luneburg, *quod S. Michaelis vocatur, tribui fundatori Ottoni Duci Saxonum, Henrici Aucupis Regis Germaniæ patri, quem regiones istas proprio jure tenuisse vel hinc agnoscas. Inde cum ad Hermannum Ducem devenerit ditio, confirmatur, quod aliunde discimus, Billinganam familiam Regiæ per matrimonii vinculum connexam inde opes suas auxisse. Vide, quæ infra in hac præfatione de Ditmaro notantur, articulo scilicet 28.*

XXI. Vita S. Adelheidis Imperatricis autore Odilone Abbate Cluniacensi.

Operæ pretium visum est in Fascieulo nostro dare vitas matris, conjugis & fratris Ottonis Magni Augusti, qui primam stirpem Brunsvicensium *Principum ad summum decus extulit. Mathildem matrem jam exhibuimus: Conjux Adelheida nunc adest; & Bruno frater mox sequetur. Vitæ ipsæ legi dignæ sunt, si quæ aliæ sanctorum; parciores miraculorum, ditiores rebus gestis, ob magnitudinem eorum, qui celebrantur. Et hanc quidem Adelheidæ vitam scripsit Odilo Cluniacensis Abbas, Vir ipse magnus & inter sanctos habitus. Prudentia & moribus eum excelluisse apparet, quod passim à Principibus & Antistitibus coleretur, & Monasteria plurima ei regenda committerentur. Itaque* Monachorum Archangelum *æqualis Fulbertus, Carnotensis Episcopus, appellavit: Adalbero autem Laudunensis Episcopus, in carmine ad Robertum Francorum occidentalium Monarcham, Odilonem per jocum Regem vocat; ita loquentem Monachum introducens:*

Non ego sum monachus, jussu sed milito Regis,
Nam Dominus meus est Rex Odilo Cluniacensis.

Porrò Odilo Adelheidi Imperatrici, cum vidua vitam religiosam duceret, familiaris fuit, & paulo ante mortem affuit, ut ipse narrat cap. 14. Adelheidis patrem habuit Rudolfum, fratrem Conradum, Burgundiæ Reges. Ipsa nupsit primùm Lothario Regi Italiæ, filio Hugonis Regis; marito autem defuncto, capta à Berengario II. successore, fugaque elapsa, & in arcem Canusinam recepta est ab Azone, Sigefridi Principis filio, cujus genus ad Estenses *Sigonius refert. Ibi obsessam à Berengario Otto Magnus, & Germania evocatus, liberavit & uxorem duxit. Eo defuncto, cum à filio Ottone II. non, ut par erat, coleretur, sese ad fratrem in Burgundiam recepit: mox tamen ad filium pœnitentia ductum, in Italia agentem, Ticinum rogata venit, & eo tandem amisso, mortua etiam Theophania nuru, Ottonis III. pueritiam avia moderata est. Monasteria struxit, Paterniacum in Bur-*

in Burgundia, Ticinense in Longobardia, Selziense Argentoratensis diœcesis in Germania, & erga cœnobia quoque Saxoniæ nostræ liberalitatem exercuit. Vita Adelheidis ab Odilone scripta, jam apud Canisium, & in Bibliotheca Cluniacensi extat. Nobis autem huc transferenda visa est cum notis brevibus Canisii, quibus loca obscuriora illustrantur.

XXII. Vita D. Brunonis Coloniensis Archiepiscopi, ad Folcmarum ejus successorem à Ruotgero scripta.

XXIII. Testamentum ejusdem Brunonis cum ejusdem Epiphanio.

XXIV. Testimonium de Domino Brunone, sumtum ex vita Gerhardi Abbatis Broniensis Ecclesiæ.

XXV. Narratio de Translatione S. Evergisli, Coloniensis olim Episcopi, ex Tungrensi urbe ad Metropolin cura Brunonis Archiepiscopi.

EGregia Brunonis Archiepiscopi Coloniensis vita est magni utique viri; scripta luculenter (ut Sigebertus olim in Chronic. ad ann. 953. judicavit) à familiari ejus Rotgero, jussu Folcmari in Archiepiscopatu successoris. Vossius in opere de Historicis Latinis, Rotgerum hunc Abbatem Monasterii de Cruce S. Leufredi in Normannia facit. Sub Henrico II. Conrado II. & Henrico III. Augustis floruisse notat, eique librum contra Berengarium dicasse Guitmundum, ejusdem monasterii monachum, postea Episcopum Aversanum. Contra objicit Sandius in notis, nullum legi Rotgerum in catalogo Abbatum ejus monasterii: Guitmundum sub Gregorio VII. scripsisse: Sed hæc dictis Vossii non obsunt. Cæterum nec Vossium nec Sandium Vitam Brunonis legisse apparet, alioqui statim animadvertissent, Rotgerum, qui temporibus Ottonis M. & Secundi jam floruit, & tum in diœcesi Coloniensi magnæ haud dubiè dignationis & scholarum fortasse Magister fuit, Henrici Tertii temporibus, id est, integro inde seculo Abbatem in Normannia non fuisse. Extat hæc vita apud Surium Tom. V. die XII. Octob. Sed nos ex Codice egregio Bibliothecæ Augustæ Guelfebytanæ emendavimus auximusque. Et cum Surius subinde stylum mutare soleat, nos Manuscriptum fideliter expressimus. Memorabile est, quod ab ipso Brunone audisse refert Rotgerus, cum Ultrajecti sub Balderico Episcopo liberalibus studiis puer inbueretur, Prudentium Poetam tradente Magistro legere cœpisse, ejusque dulcedine & gravitate mirè captum, exinde jucundiùs in omni Latina Græcaque literatura profecisse. Nescio, an alibi mentio fiat Israelis *Episcopi* Scotigenæ, *id est, Erigenæ, ut puto, seu Hiberni, cujus Rotgerus noster meminit Cap. 6. Nam constat, antiquo significatu Scotorum appellationem ad Hibernos pertinuisse, & Joannes Erigena Scotus, ut vulgo loquuntur, nihil aliud est, quàm Joannes Erigena seu Scotus; uti Rabanus Maurus duplicatio est ejusdem nominis, nihilque aliud sibi vult quàm Rabanus seu Maurus, id est, corvus seu niger. Eis erat antiquum* Jernes *nomen, & fertur significasse occidentem. Postea Scoti Hibernia, Coloniis ductis, Caledoniorum regioni nomen Scotiæ dedere. Porro viri docti ex Hibernia, diu ante & post Carolina tempora, claros in Europæ continentem viros misère; cum postea, mira rerum commutatione, vix ulla pars Europæ magis quam Insula illa, à cultu desciverit. Israelem Episcopum Scotigenam inter claros aulæ fratris Ottonis Magni viros adiit Bruno, & sub Magisterio ejus plurimum se profecisse testatus est. Hunc Episcopum suspicor eundem esse cum S. Silao Episcopo Hiberno, quem Lucæ in Hetruria venerantur & cujus vitam egregius Historiæ Lucensis illustrator* Franciscus Maria Florentinus *scripsit. Nihil enim prohibet, nomen vel à librariis vitæ Brunonis, vel quod potius credo, ab Hetruscis, quippe posterioribus, vitiatum, & ex Israele factum Silaum; Hibernos deinde consultos, de homine ignoto fabulas confinxisse; quem eorum morem notant & perstringunt doctissimi Collectores Antverpienses, de hoc viro agentes XXI. Maji. Iidem meritò refutant fabulatores, Silaum ad S. Patricii tempora, id est, quintum seculum, aut saltem ad sextum, temporaque Gregorii Magni retrahentes. Nam à S. Gregorio ordinatum Episcopum scribit vita, Lucæ reperta. Sed cum seculi XII. fœtus sit, parum ei fidi potest. Israel quidem à Gregorio aliquo Romano Papa ordinari non potuit, cum Folcmaro Archiepiscopo Coloniensi vivente jam Episcopus fuerit, cujus à temporibus longè abfuit proximè anterior Gregorius quartus. Credibile est, aulæ carum, sorore in matrimonio honorato Lucæ collocata, ætate provecta: illic quietem quæsisse extinctumque sepulturam invenisse: & à morum sanctitate in monumento vel scriptura laudatum, ducentis ferè post annis, ignorata rei veritate, male etiam lectis vel monumenti vel alterius scripturæ literis, prono in hæc seculo, aperto monumento translatisque reliquiis, prodiisse S. Silaum, vitamque ei pro arbitrio componentis, qualibuscunque ex conjecturis, assignatam. Quod si eo anno obiit, quo Dominica ante Pentecostem in XXI. Maji incidit, ut ex Lucensibus Calendariis utcunque colligitur, consequetur,*

obiisse

obiisse anno 999, quo pascha incidit in diem nonum Aprilis. Ita potuerit Gregorio V. carus esse, cui haud dubiè dudum ex Ottonum aula notus erat. Is enim eodem anno decessit. Sed ordinatum à Gregorio finxere, dum causam itineris Italici ab Hiberno susciepti quæsiêre; non ignorantes, sæpe regionum remotarum antistites id honoris quæsivisse, ut à summis Pontificibus ordinarentur.

Sed ad Brunonem nostrum à Magistro redeamus. Literarum amantissimum fuisse juvenem Principem, vel inde intelligas, quod Archiepiscopus Coloniæ & totius Regni Lothariensis Gubernator, & maximis rebus à fratre adhibitus; quacunque circumagebantur tabernacula *aut castra regalia*, Bibliothecam *suam circumducebat, ut Rotgerus ait c. 7. Idem non dissimulat (cap. 20.) fuisse, qui reprehenderent, quod Episcopus rem populi & bella tractaret. Sed cui magis fideret frater Imperator? in illa temporum difficultate, qua filius seductus in patrem insurrexerat; qua Hungari, Slavi, Galli metuebantur. Magnos viros ex Ecclesiastico ordine sæpe Rempublicam laudabiliter administrasse constat. Illud tamen peculiarem hominum sermonibus causam præbuit, quod instar Ducis egit. Nam, ut noster ait c. 17.* Imperator fratrem suum Brunonem occidenti (*hoc est occidentali parti Imperii Germanici*) tutorem & provisorem & ut ita dicam Archiducem in tam periculoso tempore misit. *Duces autem & rei militari præerant, & domi supremam jurisdictionem cum jure gladii per provinciam administrabant. Hoc Episcopi Judicibus Regiis, hoc est, Ducibus, Comitibusque, etiam in suis propriis territoriis olim relinquebant, donec ipsi Episcopi tandem Ducatus Comitatusque inter alia regalia accepêre; atque ex eo per Vice-Dominos suos jurisdictionem & merum imperium exercuerunt. Et credibile est, exemplum Brunonis, viri ob mores scientiamque laudatissimi, plurimum potuisse, ut nec vererentur dare Principes, nec accipere Prælati, quod tantus vir habuisset. Quidam longiùs justo provecti, omnem Episcopis & Abbatibus sub Carolinis Regibus secularem potestatem negant, tanquam primus omnium Otto Magnus eam contulerit. Sed Ecclesiæ dudum prædia amplissima, allodii jure, & in illis Vasallos habebant, quibus terras in beneficium dederant, aut à quibus dominium directum reddito utili acceperant, quod feudum oblatum vocamus. Aliquot etiam rusticorum seu colonorum millia aliquando sub sua ditione habebant, quos coërcere potuisse mixti imperii jure non dubito. Sed jurisdictionem in liberos homines (quæ tunc infima nobilitas) aut merum imperium in quoscunque habuisse non apparet, donec ipsi Comitatus Ducatusque aut æquivalentem eis potestatem in sua quisque ditione accepere. Hoc primus forte in occidente Episcopus Romanus obtinuit, Pipini I. & Caroli M. liberalitate. Ducis etiam jus Herbipolensi in Francia orientali Antistiti antiquitus fuisse ait Adamus Bremensis; & Wormatiam Ducis potestati exemtam, Episcopoque attributam narrat Ditmarus. Brunonem autem in Germania cæteris viam aperuisse notavit Chronicon Germanicum, Wicwillagini Magdeburgicæ (quæ speculi Saxonici partem facit) præmissum, his verbis:* an denselben begunten die Bischoff weltliche Gerichte zu haben und zu richten: und das fing erstlichen an sein (*des Keisers*) bruder *Bruno zu Köln;* und Bischof Giseler zu Magdeburg befahl Keiser Otto das Herzogthum an der Elbe zu Schartau. *Sed vereor, ut verum sit, quod de Ducatu ad Albim Giselero Magdeburgensi Episcopo ab Ottone M. concesso refert. De Brunone plurimi consentiunt, sed Epicrisin addit Chronicon (apud Gryphiandrum de Weichbildis c. 28.)* da begunten zu erst die Bischoffe weltliche Richte zu haben, das dauchte damals unbillig manchen manne. *Notatu etiam digna sunt, quæ Rotgerus habet (c. 55.) de Ratherio Veronensium Episcopo, celebri ejus temporis viro, quem sede sua pulsum Bruno ob eruditionem suscepit, & Leodiensi Ecclesiæ præfecit; mox ibi potentioribus cedere coactum, Veronæ suæ autoritate Cæsaris restituit. Tandem profectus in Galliam, ut nepotes suos invicem dissidentes ad concordiam revocaret, (c. 37.) id est, ut Regem Lotharium, sororis Gerbergæ filium, cum proceribus, Hugonis filiis, ex Hadwide altera sorore natis, conciliaret, morbo correptus Remis in flore ætatis obiit, sepultusque est Coloniæ in Monasterio S. Pantaleonis, quod ipse construxerat. In verbis morientis, quæ Rotgerus recitat (c. 39.) vix aliquid nostri Theologi reprehendant.* Spero, *inquit*, quod Advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum, justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. *Mox ad plorantes (c. 40.)* nolite, fratres, hac mea sorte tristari: illuc, non absumta vita sed mutata in meliùs pergo, ubi Viros longè plures & clariores, quam hic unquam, cito videbo. *Credas Socratem apud Platonem, aut Scipionem apud Ciceronem, sed emendata ad Christianam normam philosophia, loqui.* Testamentum Brunonis *ex eodem Codice Manuscripto Guelfebytano nunc primum exhibemus cum Epitaphio. In Testamento Ecclesiis unicè prospexit.* Elogium Brunonis, *etsi breve, ex vita Gerhardi Abbatis Broniensis, ibidem extante, exscriptum adjecimus, quia refert Raginerum cognomento Longicollum, Hanoniensium Comitem, quod Provinciam tuebaret, à Brunone pulsum,* qui, *inquit*, usque nunc exulat. *Nempe autor, vivo adhuc Brunone, scripsit. Ragineri liberi postea restituti sunt. Hinc Duces Brabantiæ veteres descenderunt, quibus Landgravii Hassiæ originem debent.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Translationem corporis Evergisli, *olim Coloniensis Episcopi, sed apud Tungros sepulti, quod Bruno metropoli restituit: & Patrocli martyris sub Aureliano passi, quem idem, à fratre in Lugdunensem Galliam missus, ab Ansgiso Trecassinæ Ecclesiæ Præsule obtinuit, & Ecclesiæ Susatensium in Westphaliâ intulit, Surius, vel quem ille secutus est librarius, vitæ ipsi Brunonis inseruit. Sed neque cohæret ea cæteræ narrationi, neque in nostro Codice intexta reperitur. Itaque sublatam inde separatim damus.*

XXVI. Vita Theoderici I. Metensis Episcopi, scripta à Sigeberto Levita S. Vincentii.

Hoc opus nunc primum edimus, & visum est cura nostra dignum, quia Theodericus ex stirpe Widikindea per matrem fuit, teste hac ipsa vita. Eum Bruno Ottonis M. frater in Testamento suo Sobrinum *vocat; Rotgerus laxiore sensu Brunonis* nepotem. *Nempe Consobrini erant Bruno & Theodericus, cum mater hujus Amalrada esset soror Mathildis Reginæ, nupta Everhardo Comiti ex pago Saxoniæ Hamalant. Saxonia hic tam latè sumitur veteri more, ut Westfaliam comprehendat, situsque erat pagus Hamalant ad Rhenum in ea provincia, quæ nunc Ducatus Clivensis appellatur; inque eo Monasterium Eltene diplomata locant. Amalradæ Reginæ Mathildis soror, quod sciam, alibi non habetur. Biam & Friderunam (de quibus supra) nobis Necrologium Trevirense servavit. Theodericus, in Halberstadensis Ecclesiæ gremio educatus, Anno 962. Adalberoni Metensi Episcopo defuncto successor datus est, commendatione Consobrini & amici, cui perpetuus deinde adjutor in difficillimis temporibus adhæsit. Fraternitatem constituere voluit inter Clerum Metensem & Halberstadensem, cum utriusque loci Cathedralis Ecclesia Stephano Protomartyri sit dicata. Hoc nepos ejus & Successor, Adalbero secundus, cum Hildwardo Halberstadensi Antistite perfecit. Ottone Magno cum Adelheida conjuge & filio Ottone II. in Italia agente Episcopus noster cuncta palatina negotia administravit, & triennio ferè integro in ea expeditione militavit, denique, cum inter aulicos & imperii Consiliarios primus haberetur (ut biographus noster ait c. 21.) obiit VII. Idus Sept. feria sexta anno primo Ottonis III. Struxerat S. Vincentii Monasterium, eoque merito Sigebertum loci Diaconum, præconem, vitæque, quam damus, scriptorem invenisse apparet, quem Henrico III. regnante aut non longè inde vixisse ex eo colligas, quod dedicationem Ecclesiæ suæ anno VII. Conradi II. à juniore Theoderico Metensium Episcopo peractam, in recenti eorum, qui interfuerunt, memoria versari cap. ult. scribit.*

XXVII. De Venerabilibus Palatinis Rheni, Erenfrido seu Ezone & Mathilde, eorumque filia B. Richeza Regina Poloniæ narratio à Monacho Brunwillerensi conscripta.

Etiam Mathildis Ezonis Comitis Palatini ad Rhenum uxor ad Ottonianam, id est, primam Brunsvicensium Principum stirpem pertinet. Nam filia fuit Ottonis II. Augusti, soror Tertii. De hujus ergo vita pariter ac mariti, & filiæ Richesæ Polonorum Reginæ, narrationem adjecimus, quam ex Manuscripto Codice Brunwilariensis ad Rhenum inferiorem Monasterii, à conjugibus istis fundati, eruit Joh. Gamansius, de Historia Germanica egregiè meritus, & præclaris viris Antverpiensibus collectoribus misit, quorum ex notis (21. Maji) quædam sumsimus, alia de nostro adjecimus, quæ paginis hic subjiciuntur. Discimus autem ex Brunwilariensi narratore, *temporibus, de quibus scribit, proximo, quædam alias ignorata circa veteres Comites Palatinos ad Rhenum, & Duces Bavariæ atque Suevie. Hos autem Palatinos arbitror ad Regnum Lotharingiæ pertinuisse. Itaque Narrator noster notat c. 2. Ezonem, cum Mathildis conjugis mortem intellexit,* fuisse in Aquisgrani palatio, *ubi erat Lotharienses regni sedes. Porrò Regnum Lotharingiæ duas Metropoles, Trevirensem & Coloniensem; duosque Ducatus Mosellanicum & Brabantinum, vel superioris inferioris que Lotharingiæ complectebatur, unà cum nonnullis alis Episcopatibus & Principatibus seu Comitatibus, quorum aliqui serius ad axioma Ducatus sunt sublati. Interim pars Cisrhenana provinciæ Coloniensis ad Westfaliam, non ad Ducatum Lotharingiæ, semper pertinuit. Hodie transrhenana pars, quæ circulo Burgundico non continetur, Westfalico computatur. Quantum judico, Henricus I. Rex Germaniæ, cum Lotharii Regnum recuperasset, ibi præter Gisilbertum Ducem, cui filiam (fortasse ex prima conjuge) Gerbergam desponderat, videtur* Comitem palatii *vel constituisse, vel jam constitutum ab anterioribus Lotharingiæ Regibus reliquisse, qui Rege apud Aquas grani aut in alia Regali Villa sedente, veterum Francorum more palatio præesset. Tantæ autem dignitati ditio jam tum hæreditario feudi jure annexa esse solebat præter patrimonialia Comitis bona. Ditionem Palatini hujus trans Rhenum sitam fuisse apparet, in Lotharingia scilicet, ut tunc regionum appellatio erat. Brunwillariensis quidem tractus inter Erpam Rhenumque fluvios jacet. Habuit præterea idem Palatinus insulam S. Swiberti (hodie Keisers werdam) & Duisburgum. Ex his ergo Comitibus Palatinis Hermannus, (quem sub Ottone M. strenuè jam sese contra Hungaros gessisse, posterior quidam Brunwilerianæ narrationis interpolator, à Gamansio etiam summissius scripsit)*

ſcripſit) ad Ottonis III. usque tempora pervenit. Id Ditmari verba indicant, cum ait: Cæſaris ſoror Mathild nomine, Hermanni Comitis filio Ezoni nupſit; *ipſum ſcilicet Ezonem nondum Comitem Palatinum vocat. Fabuloſa videntur, quæ noſter narrat de ludo, quo victor Ezo Mathildem à fratre obtinuerit. Illud ſatis Ditmarus innuit, elegantem juvenem virgini Regiæ placuiſſe, & fratrem ſorori indulſiſſe. Noſter narrator ait, repugnaſſe inprimis amitam Adelheidem, Aſſindienſem Abbatiſſam, Ottonis ſcilicet Magni filiam, apud quam virgo educabatur. Hæc Adelheid à Madero in Tabula Ottonianæ ſtirpis prætermiſſa eſt, & tamen eam Witikindus Monachus indicat non procul initio libri 3. cum ait, Ottoni ex Adelheide præter tres filios Henricum Brunonemque, qui obiére, & Ottonem, qui ſucceſſit, filiam natam, Sanctæ matris nomine inſignitam. Unde colligas, Mechtildem Abbatiſſam Quedlingeburgenſem natam ex Edita: etſi ei quoque Ditmarus Adelheidem matrem tribuat. Idem Ditmarus de Ezonis conjugio:* hoc, *inquit*, multis diſplicuit. Sed quia id non valuit emendari legaliter, (*eo ſcilicet res proceſſerat*) tulit hoc unicus frater illius patienter, dans ei plurima, ne vileſceret innata ſibi (*id eſt ei*) à parentibus gloria. *Dediſſe apparet Salaveldam & Coburgum aliaque vicina loca, quæ nunc Ducibus Saxoniæ, Miſniæ Marchionibus & Thuringiæ Landgraviis parent; olim ad jura Henrici Aucupis & Ottonum Auguſtorum pertinebant. Unde Henricus Ottonis M. frater, cum turbas cieret, conſcios Salaveldam convocavit, celebri convivio parato, (apud Witikind Corb. lib. I.) & eo Duce Bajoariorum facto, Ludolphus Imperatoris filius Salaveldam obtinuit: nam, ut continuator Reginonis habet ad ann. 952,* Luidulfus ex Italia reverſus regio ambitu natalem Domini in Salavelt celebravit, quod convivium jam multis ſuſpicioſum cœpit haberi. *Itaque Witikindus Monachus ait lib. 3.* Luidolfum tunc moratum in loco conſiliis funeſto Salaveldum. *Hæc eadem ergo loca Otto III. ſorori dedit. Unde Ezonem in eo tractu Slavis vicino (tunc ſcilicet Sala Slavos à Germanis diſtinguebat) ursum ingentem & regioni infeſtum occidiſſe narrat noſter autor. Poſtea Rikeſa Regina loca maternæ hæreditatis Salaveld & Koburgh in Annonem Archiepiſcopum Colonienſem transtulit, ut ex noſtro autore & vita Annonis edita apparet, & ex diplomatibus Rikeſæ atque Annonis, quæ edidit Geleniuſ. Interpolator narrationis Brunwilerianæ tertium locum nominat Orlam. Eſt autem Orla fluvius Thuringiæ, qui apud Orlamundam arcem in Salam influit, ubi fortaſſe locus ejusdem juris fuit. Annonem Salaveldæ Canonicis expulſis Monachos Colonia adductos ſubſtituiſſe queritur Lambertus Schafnaburgenſis.*

Ezo & Mathildis tres filios (quorum mox defecit progenies) & ſeptem filias genuerunt. Filii fuêre Ludolphus, Otto & Hermannus. Ludolphus primogenitus ſucceſſit patri in palatina dignitate, filios genuit Henricum & Cunonem. Henricus patris avique dignitatem obtinuit; Cuno factus eſt Dux Bajoariorum. Ambo liberis caruêre. Palatinatus ceſſit alteri Ezonis filio Ottoni; quo ad Ducatum Sueviæ evecto, Palatina dignitas Henrico conſobrino, Hezelonis (qui Ezonis frater fuerat) filio datus eſt. Cuno Dux, ex qua ſtirpe eſſet, hactenus Hiſtorici ignoraverant, variis conjecturis nequicquam allatis: hunc nodum noſter narrator diſſolvit, nec parvam Hiſtoriæ illorum temporum lucem affert. Porro Hermannus tertius filiorum Ezonis factus eſt Archiepiſcopus Colonienſis. Filiæ ſeptem à noſtro autore ita enumerantur: Rikeſa *facta eſt Regina Polonorum, de qua mox;* Adelheit in Nivella Monaſterio; Theophanu (*nomen aviæ Græcæ Principis, Ottoni II. nuptæ*) in Aſinde (*hodie Eſſen*) Heyleweig (*an Hedwig?*) in Nuſſia; Mathild in Didinckerica atque Vylica; Ida in Monaſterio S. Mariæ Coloniæ; Sophia ſimiliter in Monaſterio S. Mariæ Moguntiæ atque Gandersheim ſanctimonialibus fœminis ſunt prælatæ loco regiminis. *Hanc verò Sophiam non puto eam eſſe, ut annotatio apud Henſchenium innuit, quæ in noſtris Hiſtoriis ſæpiùs memoratur, ob lites diuturnas, quibus cauſam ipſa præbuit, inter Willigiſum Archiepiſcopum Moguntinum, & Epiſcopos Hildeſienſes, Osdagum ac ſanctis annumeratos Berwardum & Godehardum: ſed eſſe potiùs ejus neptem. Nam prior Sophia Gandershemenſis Abbatiſſa, filia Ottonis II. & Theophaniæ fuit, ut diſertè habet Ditmarus, cui etiam notam fuiſſe arbitror. Poſterior verò ex ſorore Ottonis III. & Ezone nata fuit, teſte noſtro narratore. Bodo Gandeshemenſis Hiſtoricus priori ſucceſſorem Adelheidem Quedlingeburgenſem, ut ipſe ait, Abbatiſſam, Nivella accerſitam: quæ ſi vera ſunt, præter Quedlingeburgenſem etiam Nivellenſem Abbatiam ſub hac fuiſſe apparet, accedente jam & Gandeshemenſi. Hæ autem aliæque Abbatiæ, quæ in Ottoniana familia erant, Quedlingeburgenſi excepta, poſtea inter ſex Ezonis & Mathildis filias ſunt diſperſæ. Ex his Theophanu Aſſindienſis Abbatiſſa, tumbæ S. Marſi Martyris in illa Eccleſia hodieque extanti, verſus inſcribi juſſit, qui dubitationem non parvam movent. Henſchenius Bucelini editionem cum Ecgrapho Antverpiam miſſo conferens ita legit:*

Hoc opus eximium gemmis auroque decorum
Mathildis vovit Theophanu, quod bene ſolvit
Abbatiſſa bona Mathild, hæc chryſea dona
Regi dans Regum: quæ res depoſcit in ævum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Spiritus Ottonis pauſet cœleſtibus oris
Domina Mathild me fieri juſſit.

Hæc doctiſſimus Henſchenius (quantum capio) ita interpretatur, tanquam Abbatiſſa Aſſindienſis Mathilda fuerit, quæ & Quedlingeburgenſis, nempe Ottonis M. filia, quæ, quod neptis Mathildis, Theophanu (Reginæ ſcilicet) filia, Ezoni nupta, noverat, ſolverit. Sed non facile ſolemus alterius vota ſolvere, niſi extincti. Mathilda autem Abbatiſſa longè ante Ezonis conjugem, imò ante conjugium obiit, eique ſoror Adelheidis ſucceſſit. Verſus apud Bucelinum ita leguntur (Germaniæ part. 2. pag. 143.)

Hoc opus eximium gemmis auroque decorum.
Mechtildis vovit, quæ Theophanu quoque ſolvit.
Abbatiſſa bona Mechtildis chryſea dona
Regi dans Regum, quæ Rex depoſcit in ævum
Spiritus Ottonis paſcit cœleſtibus oris.

Et in pede tumbæ ſunt hi verſus:

Hocce decus gemmis Coſma Damianeque vobis
Fecit Mathildis, mercans æterna caducis
Theophanu cœlis [cætera non legebantur.]

Inſcriptionem ita interpretari poſſis, Theophanu Abbatiſſam bonam, ſolviſſe Mechtildis chryſea dona, ſeu quæ Mechtildis voverit. Sed quæ Mechtildis? an ipſa mater Abbatiſſæ Theophanu, quæ votum pro anima Ottonis III. fecerit ſoror; cujus ſcilicet cœpta à filia ſint perfecta. Id veriſimile puto, ſed accurata in loco exſcriptione verſuum opus foret, videndumque, an non lacunæ ſuppleri poſſent. Interim idem Bucelinus alia affert, ex quibus admittendum videtur, aliquam Mechtildem inter Adelheidem & Theophanu mediam apud Aſſindienſes Abbatiſſam egiſſe; quæ collegium Canoniſſarum in Rellinckhauſen fundarit, cujus & ibi anniverſarium ſervetur: Eidem & Henricum II. privilegia confirmaſſe. Quæ autem hæc fuerit, conſtituere non poſſum. Sanè non potuit eſſe ſoror Ottonis III. ut putavit Bucelinus. Hæc enim Ezoni nupta ante maritum obiit. Nec locum habet filia Ottonis M. quæ utique Henrico II. multo anterior fuit. Hoc loco obiter emendare libet verſum Latinum, Græcis characteribus libro quatuor Evangeliorum, auro gemmisque ornato, Aſſindiæ extanti inſcriptum:

AD ΠΡΟΠΡΙΩΜ ΝΑΤΩΜ ΘΕΡ ΝΩΣΡΩΜ VIPΓΩ ΠΡΕΓΡΑΤΩΜ.

Quod Bucelinus ita legit:

Ad proprium natum ter noſtrum Virgo prægratum.

Sed manifeſtum eſt, legi debere:

Ad proprium Natum fer noſtrum Virgo precatum.

Nempe pro ΘΕΡ, *erit* ΦΕΡ.

Cæterum, cum ex Ditmaro diſcamus, Adelheidem ſorori Mathildæ in Quedlinburgenſi Abbatia ſucceſſiſſe, adeoque & hoc, & Aſſindienſe cœnobium ſimul rexiſſe; nil prohibet eandem Mathildam ſimiliter etiam Aſſindiæ antea præfuiſſe: quanquam ita eſſe certo argumento doceri non poſſit.

De Rikeſa vel Richſa, Regina Poloniæ, ſupereſt, ut aliqua dicamus, non aliena à rebus noſtris. Idem nomen etiam geſſit Imperatrix, Lotharii Saxonis uxor, cui dotalem attulit Brunſvicenſem *ditionem. Suſpicor ex Regina (quod non inuſitatum eſt nomen) factam Rekinſam, aut* Rikinſe: *ſic enim ſæpe habent diplomata & veteres ſcriptores. Rikeſam Ottonis III. neptem, Henrici II. conſanguineam duxit Micieslaus vel Miſeko, qui ſe Regem ferebat, etſi à Cæſaribus tunc non alio quàm Ducum jure ii, qui Polonis præerant, cenſerentur, quemadmodum ex Ditmari Epiſcopi Hiſtoria patet. Sed cum ei Caſimirum peperiſſet, mox ob pellicem à marito divertit, & Germaniam repetiit, ut noſter habet Narrator, qui ipſam Reginam videre potuit. Poloni ſcriptores, longè ab illis temporibus remoti, & pleraque ex incertis rumoribus tradentes, poſt mortem mariti cum filio pulſam fabulantur. Ita habet Matthias Michovienſis, qui conjugium ipſum male ad annum 1001. refert, quaſi tunc ab Ottone III. cum ſororis filia conciliatum: Sed eo tempore Otto III. in Italia obiit; Rikeſa autem nubilis eſſe non potuit, cum mater ejus Mathildæ (quantum ex Ditmari verbis colligitur) adulto jam fratre Ottone III. qui juvenis obiit, matrimonium inierit, & ex narratore noſtro, fratris tantum conſenſum memorante, ſatis appareat, matrem Mathildæ Theophaniam Auguſtam tunc non vixiſſe. Itaque conjugium, ex quo Rikeſa nata eſt, ante annum 990. non cœpit. Porro cum Poloni ſcriptores Rixam contumelioſè tractent, quam Colonienſes tanquam Sanctam, vel certè Beatam venerantur, Ægidius Gelenius, magnitudinis Coloniæ ſcriptor eruditus & diligens (cujus*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

jus pleraque molimina & collectanea intercedisse dolendum est) justam Reginæ Apologiam dedit. Filium infantem secum abstulisse apparet, credo, ne paternis moribus imbueretur. Hunc postea Poloni, lacerato discordiis regno, jam Monachum apud Cluniacenses, & ad Diaconatus gradum promotum, legatione missa repetierunt: quos Odilo Abbas (ut ex ejus vita patet) ad Pontificem Romanum remisit, qui precibus annuit. Fabulosum est, quod additur, Polonos morem tondendi verticis recepisse in memoriam tonsuræ sui Regis. Legati Casimirum prius apud Brunsvicum *quæsisse scribuntur à Longino sive Dlugosso. Sed ego suspicor, corruptum hoc esse ex* Brunwiler, *& notum apud exteros nomen in locum ignoti substitutum. Nam Brunswilariense Monasterium, à parentibus fundatum, Regina amabat & frequentabat, & ibi aut in vicinia puerum Casimirum sæpe egisse credi par est.*

Postremo tabulam Genealogicam, sed contractam, subjicere placet, qua non tantum Ezonis Palatini & conjugis, sed & omnium Saxoniæ Principum, quibus vitarum hic à nobis exhibitarum scriptores contigêre, inde à Mathilda Regina stirps & nexus oculis subjicitur. Sunt autem Mathilda Regina Germaniæ, Adelheidis Augusta, Bruno Archiepiscopus Coloniensis, Theodericus Episcopus Metensis, Mathildis filia Ottonis II. Augusti, cum marito Ezone Comite Palatino ad Rhenum, & horum filia Rikesa Regina Poloniæ; denique Henricus II. Imperator, quem Sanctum vocant, Ottonis III. successor ejusdemque stirpis; cujus vita mox sequetur. Antequam autem hinc abeamus, annotare operæpretium visum est, autorem narrationis Brunwilariensis *à rebus, quæ scripsit, non multum abfuisse, cum quædam à vetula sibi narrata referat cap. 2. quæ Mathildem, Ezonis Palatini conjugem, adolescens vidit.*

Tabula Genealogica



XXVIII. DITMARUS RESTITUTUS, seu Ditmari Episcopi Merseburgensis Gesta Saxonum, Libris VIII. comprehensa, [quibus Cæsarum, ex antiqua domo Brunsvicensi ortorum, Historia continetur.]

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

lensis. Idem de Slavicis, Polonicis Hungaricisque dicendum est, Historiam veterem earum gentium sine Ditmaro mancam fore. Et præ his, quæ ille tradidit, nihili sunt, quæcunque de suo afferre possunt Poloni, seriùs scriptores nacti.

De Anglicis etiam rebus habet quædam ex relatu, quæ etsi non prorsus erroris expertia sint, videntur tamen lucis aliquid domesticæ gentis Historiæ (valde circa hæc tempora incertæ & obscuræ) afferre posse. Nempe lib. VII. narrat Ditmarus, anno 1016. mense Julio Haraldum & Cnutum fratres, cum Duce Thurguto & classe 340. navium appulisse, & Londinum obsedisse, paulo post mortem Regis Adelradi; cumque sex mensibus durasset obsidio, filios defuncti Regis, urbe antea egressos, Ethelstenum & Ethmundum cum auxiliis venisse, iisque casu obviam factum Thurgutum. Tum prælio commisso Ethmundum Regem & Thurgutum Ducem cecidisse, Danos repetitis navibus recessisse. Sed credibile est, alium à Rege Ethmundo fuisse, qui tunc cecidit. Nam Edmundus Ethelredi filius pacem postea cum Canuto fecit, diviso inter ipsos Angliæ Regno. An dicendum erit, permutasse nomina Ditmarum, & Adelstanum cecidisse: nam quis hujus exitus fuerit, non satis (ni fallor) constat ex scriptoribus Anglis. Nescio, an ad Thurgutum *hunc Ducem pertineat moneta, literis Runicis inscripta, insertaque editioni Anglicæ Britanniæ Camdeni, de qua Cl. Vir Nicolaus Kederus, Regii apud Holmiam collegii antiquitatum Assessor nuper dissertationem edidit, & verba ita legit:* Thurgut Luntis: *suspicatus, Thurgut nomen monetarii esse Lundinensis, refutatis iis, qui* Thur-gut *interpretati sunt Deum* Thor *Septentrionalibus cultum, cum nummus Christi effigiem præferat ab altera parte. Sed Nobilissimus Eques Fontanus, qui nuper pulcherrima amplissimaque collectione nummorum Anglo-Saxonum edita, Hikkesianoque sane eximio Anglo-Saxonicarum antiquitatum Thesauro adjecta, Historiam patriam illustravit: dubitat (fol. 165. 166.) Londinum designetur an Licolniensis urbs, dicta olim Lundis-vara. Quod si me aliquid adjicere fas est, dubitari posse putem, an non præstet pro monetario hic substitui inclytum in Anglia Ducem gentis Danorum, cujus vel mandato vel honori id datum sit, ut nummus iste cuderetur: cum & literæ sint, quæ tunc Danis in usu erant, & nummus in Anglia sit repertus. Sed Ducis Thurguti nec Anglos nec Danos scriptores meminisse suspicor, quoniam nemini nunc ille in hoc nummo interpretando succurrit. Itaque Ditmaro nostro inposterum resuscitatum decus debebit Vir ille.*

Ditmarum inter optimates Germaniæ omnium primum fuisse, qui Historiam scripserit, Reineccius in præfatione notavit; credo quod ipsius tempore ignoraretur Haymonis Episcopi Halberstadensis Historia Ecclesiastica, aut Willibaldi (mea sententia Junioris) Episcopi Eichstetensis vita Bonifacii, aut Altfridi Episcopi Monasteriensis Vita Ludgeri; ne quid de vita Greporii Rectoris Ecclesiæ Trajectinæ, ab ipso Lutgero primo Monasteriensium Antistite scripta, dicam: nisi Reineccium de justa temporum scriptoris Historia interpretamur. Vitam *ipsius* Ditmari *ex Chronico vetere Antistitum Merseburgensium à Reineccio editam ipsius exemplo subjecimus; dolemusque, Chronicon istud nunc, quod constet, non haberi.*

Absoluta jam editione Ditmari, *nonnullas* collationes emendationesque *adjicere è re visum, neglectas initio, quod semper executioni eorum, quæ præscripseram, advigilare mihi non licuisset. Nunc ergo peculiari Tmemate (LXIV) ad Witikindearum collationum exemplum, in fine totius hujus operis subjectas dabimus. Nimirum Albinus Historicus Electoris Saxoniæ, post editionem Reineccianam, correctiones collationesve ex antiquo Codice sumtas, Henrico Meibomio Seniori miserat. Eas nepotis hujus, Henrici Meibomii Junioris, Viri itidem Clarissimi filius, Serenissimi Principis Hæreditarii Guelfebytani Consiliarius ex schedis paternis suppeditavit. Sed & Cl. Vignolla Gallus, verbi divini apud Brandeburgicos tunc Minister, quædam peropportunè ex aliorum autorum locis emendavit; Chronologiæ inprimis habita ratione, in qua se egregiè versatum jam dudum publicis specimibus ostendit. Quædam ego ipse tum ex collatione Reineccii Maderique, tum ex ineditis quibusdam scriptoribus, tum denique ex ingenio emendavi. Sæpe autem varietate annotata, utra lectio præstaret, incertum reliqui. Eadem occasione etiam typorum nostrorum lapsus, qui turbare poterant, corriguntur.*

XXX. Vita Henrici Sancti Imperatoris, ab Adelboldo Episcopo Trajectensi conscripta.

HEnricus, Secundus, si Reges Germaniæ ejus nominis numeres; primus, si Romanorum Imperatores: inter Sanctos ab Innocentio III. Papa relatus est, & apud Bambergenses potissimum colitur, ubi Episcopatum inclytum ipse fundavit. Magnum Virum fuisse & probum, dubitare nos gesta non sinunt. Virginitatem voluntariam in matrimonio cum Cunigunde conjuge coluisse, posteriores tradiderunt: coætanei nec minimum hujus opinionis vestigium exhibent; ut adeò magnopere ei fidi non possit. Patrem ejus fuisse Hezilonem vel Henricum Ducem Bavariæ, filium Henrici, qui à

Magno

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Magno Ottone fratre Ducatum Bavariæ accepit, filia Arnulphi prædecessoris ducta, pro certo habendum est, cum à contemporaneis scriptoribus ac documentis extra controversiam collocetur. Et tamen inventus est scriptor, doctus alioqui, sed in hac certè re inconsultus, Mattheus Raderus, qui in Bavariæ Sanctæ opere virum antiquissimæ Brunsvicensi *stirpi eripere & Bavaris vendicare conatur, nullis idoneis argumentis adductis: itaque rei claræ immorari non vacat. Placet tantum adducere locum insignem ex vita Mathildis Reginæ, quam huic collectioni inserimus, hujus ipsius Henrici jussu scriptam. Ibi narratur, Regina sene, aliquando cum Imperatrice Adelheida nuru ad mensam sedente, ludentibusque juxtà pueris inter se consobrinis, Ottone II. filio Magni & Henrico, filio Henrici Ducis defuncti, quem avia tanquam imaginem Henrici Patris, sibi dilectissimi, in oculis ferebat: Imperatricem de matrimonio aliquando inter filiam suam Hemmam & puerum conciliando, sermonem intulisse; at Reginam suspirantem tanquam futurorum præsciam dixisse:* expedit filiæ vestræ feliciori se Viro adjungere. Hoc nomen (*Henrici*) solum modo decus habuit, quamdiu Dominus noster Henricus vixit. Postquam vero in posteros venit, nunquam infortunio caruit - - - adhuc in divina dispositione est, quid huic debeat accidere. Speramus autem non excidere hoc nomen de genere nostro, priusquam aliquis parvulus oriatur de ejusdem pueri semine, qui sublimetur regali dignitate. Quis autem dubitet, (*subjicit autor*) electæ Christi famulæ prophetiam in Christianissimo Rege Henrico nunc esse impletam.

Vitam Henrici Secundi Imperatoris, à posteriore scriptam, Sanctis Bambergensibus inseruit Gretserus. Sed cum ei magnopere fidi non possit, damus tantum eam, quam scripsit familiaris ipsius Augusti Adelboldus, Ultrajectinus Episcopus, quamvis non nisi imperfecta habeatur, eruta à Tegnagelio ex Codice Bibliothecæ Cæsareæ & Gretsero missa: neque alibi aliud exemplum hactenus repertum est. Et vereor, ne neglecta sit à posterioribus, quia Imperatorem, cujus gesta tradit, magis ut egregium Principem, quàm ut hominem, devotionibus insolitis deditum, describit, quod mox vulgus lectorum quærebat. Autoritate & gratia apud eum valuisse, & consiliis etiam adhibitum fuisse, vel ex Sigeberti Gemblacensis verbis intelligas, qui ad ann. 1004. ita scribit: Gerardus Cameracensis & Adelboldus Ultrajectensis Episcopus, magni in Ecclesia & palatio habentur. *Cæterum, quæ Adelboldo desunt, bonam partem ex Ditmaro suppleri possunt; & ubi is finit, ex variis Historicis, etsi minoris ponderis, spicilegium instituendum est, messe amissa.*

XXXI. Vita S. Bernwardi, XIII. Hildesheimensis Ecclesiæ Episcopi, autore Tangmaro Presbytero.

XXXII. Narrario de Canonisatione & Translatione S. Bernwardi.

XXXIII. Compendium vitæ S. Bernwardi Episcopi Hildesheimensis.

Bernwardus Hildesbemensis Episcopus, de familia illustri harum regionum ortus, præfuit studiis Ottonis III. postea semper carus Augusto juveni, & magnæ apud eum autoritatis. Lites cum Moguntinis Archiepiscopis, Willigiso & Aribone, exercuit de jure diœceseos in illustre Cœnobium Virginum Gandesbemense, cujus Abbatissæ tenent hodie Principum dignitatem. Trigesimo Episcopatus anno obiit, & tamen superstitem habuit, scriptoremque vitæ suæ, (quam hic damus) Tangmarum, quem habuerat rectorem studiorum: virum, ut apparet, non ineruditum, qui se scholarum primicerium, id est, Magistrum vocat; quod munus, ut in Hildesbemensi Ecclesia, ita & in aliis hodieque superest, proxima plerumque à Præposito & Decano dignatione: etsi solo Scholastici nomine superstite, scholis ipsis Basilicarum dudum sublatis. Doctrina tamen majorum decus nuper æquasse vidimus Illustrem Virum, ac nobis amicum Theodorum Christianum Plettenbergium, Ferdinandi Episcopi Germanorum doctissimi, ex sorore nepotem, in Historia patria immitatorem studii, hæredemque apparatus; sed quem adversa valetudo & tandem mors perficere non passa est, quæ cogitabat.

Plerique omnes Bernwardum familiæ Comitum Summerseburgiorum ascribunt, qui Palatinatum Saxoniæ aliquando tenuerunt. Fuisse in Saxonia non minus quam in Bavaria, & Austrasia, & Burgundia & Neustria, Palatinos Comites, satis constat. Et Henricus Dux Brunsvicensis, Alberti filius, Grubenhagiæ lineæ autor, sese aliquando Palatinum Comitem Saxoniæ scripsit, de cujus tituli sumti ratione alias dicam. Sommerseburgi arx hodie superest in edito colle, uno Germanico milliari ab Helmestadio distans. Bernwardum ex stirpe Comitum, quorum ibi sedes erat, fuisse dicit disertè cap. I. is, qui vitam ejus Saxonicè ante bina secula convertit, patremque facit Comitem Tidericum. Et in ipsa vita à Tangmaro scripta, qualis est à Browero edita, ejusque versione, quam dixi, refertur cap. 32. fratrem Præsulis Bernwardi Tammonem Comitem ad Regis (*Ottonis III.*) imperium,

 de Som-

de Sommerschenburg paternum, munitum valde, castellum insedisse. *Sed vereor, ne glossema sit nomen castelli: nam nec bene cohærent verba, nec in* MSto Guelfebytano *nomen reperitur. Certum est, quod Tangmarus ait, avum Bernwardi maternum fuisse Adalberonem Palatinum Comitem Saxoniæ. Sed serius contigit, ut Sommerseburgius Comes Albertus Odam filiam Friderici Comitis Palatini duceret, & filius inde natus Fridericus Comitivam Palatii obtineret. Itaque metuo, ne posteriores Sommerseburgium fecerint Bernwardum, tantùm quia Palatini filia natum. Locus est suspicandi, Adalberonis Palatini (etsi utriusque sexûs liberos habuisse dicatur Tangmaro) tamen stirpem defecisse, & comitivam in Comites Wetinenses translatam, unde tandem ad Sommerseburgios pervenit. Bernwardus puer primum in Ecclesia Hildesiensi magistros audiit; deinde apud avunculum Folcmarum, Ultrajectinum Episcopum; tandem apud patrem Folcmari, avum suum, Adalberonem egit, cui senio & infirmitatibus laboranti sedulam & gratissimam operam dabat. Inde in palatium evocatus, studiisque juvenis Principis Ottonis III. præfectus est, & Hildesiensi Ecclesiæ tandem rector datus. Memorabile est, artis pictoriæ & cognatarum studio deditum fuisse; & cum majora abunde teneret, mechanicis sæpe delectatum. Tangmarus inter alias artes cum fabrili* clusoriam *nominat. Interpretes Saxo accipit de arte gemmarii, cujus est includere gemmas; videturque omne aurifabri artificium eo nomine, etsi arctiore comprehendi. Sanè fundendi artifex erat, & nunc quoque monstratur calix ex metallo, quod ajunt ignotæ esse compositionis. Sed & Chemica arte virum præcelluisse constans apud Hildesienses fama est: eaque commotus non ita pridem Maximilianus Henricus ex Ducibus Bavariæ, Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus & Princeps Elector, idemque Hildesiensis Episcopus, rei Chemicæ studio & cognitione laudandus, inquisivit diligenter in vestigia scientiæ Bernwardinæ, & nonnulla nactus fertur. Medicinæ peritiam disertè laudat Ditmarus (lib. 6. p. 392.) qui virum novit, & Waltherdo Magdeburgensi Archiepiscopo ægrotanti cum ipso affuit.*

Cæterum fundavit Bernwardus celebre S. Michaelis apud Hildesienses Monasterium sub regula S. Benedicti, egregieque dotavit.

XXXIV. Vita S. Godehardi Episcopi Hildenshemensis, ad S. viri familiarem scripta.

XXXV. Historia Canonisationis S. Godehardi & translationis ejus corporis.

Godehardus ortu Bajoarius, Ostfaliam & Hildeshemensem Episcopatum illustravit. Itaque vitam ejus, jam inter Sidera Germaniæ à Browero editam, mox à Bollando & Mabillonio recensitam; Berwardi Antecessoris proximi vitæ meritò adjungimus. Ex parentibus mediocris fortunæ ortus, qui ad Altabensis Monasterii familiam pertinebant, ingenio & moribus meruit ut Friderico Salisburgensi Episcopo ab Epistolis esset. Sed aliquot post annis Monasterium patrium ingressus, eique deinde ab Henrico Duce, postea Imperatore, præfectus est. Mox etiam Tegernseense & Cremsense Monasterium regere jubetur: tandem defuncto Bernwardo Hildeshemensi Præsuli ab eodem Imperatore sufficitur. Ibi multa ipsi de jure diœcesano in Gandeshemense Cœnobium cum Aribone Moguntino Archiepiscopo controversia fuit, quam tandem inter utriusque prædecessores diu agitatam feliciter terminavit. Sæpe & Abbas & Episcopus in Aula Imperatoris egit, & maximis rebus admotus est. Obiit anno Chr. 1038. De die obitus controversia est, eaque de re nuper Illustris autor Johannes Mabillonius hæc scripsit in præfatione vitæ: Sancti Godehardi obitum omnes ferè ad IV. Maji diem referunt, nonnulli ad sequentem: priorem sententiam, quæ posteriore certior videtur, prætulimus. *Sed in antiquo Ecclesiæ Hildeshemensis Necrologio hæc verba habentur:* quarto Nonas Maji translatio S. Godehardi confratris, tertio Nonas Maji natalis S. Godehardi. *Itaque qui in quartum Maji contulêre natalem, translationi confudêre.*

Vitam, quam hic damus, scripsit Wolferus cum ipso Godehardo familiariter conversatus. In Altabensi Monasterio se educatum profitetur, & Abbatem suum Athelbertum nominat. Anteriora quædam ad vitam Godehardi pertinentia didicit ex relatu Reginoldi cujusdam Senis presbyteri, quidam Codices Ratmundum habent, alii Rumoldum. Ea sanctitatis opinione vixit Godehardus, ut mox, ubi excesserat, miraculorum fama inclarescceret, & Bernardus, Episcopus ejusdem sedis, tandem in numerum Sanctorum ascribi eum curaret: quod factum est in Concilio Remensi, quod sub Innocentio II. Pontifice paulo post Leodiense habitum est. Idem Episcopus in Godehardi honorem Monasterium in Urbe Hildeshemensi struxit, in quo nunc quoque Benedictini ordinis cœnobitæ perseverant.

Ex Wolfero firmatur, quod aliunde satis compertum habemus, Gruonam castrum vel palatium, sæpe Imperatoribus frequentatum, non aliud esse, quam cujus vix hodie vestigia supersunt apud Gottingam, quæ Urbs in Electoris Brunsvicensis ditione sita, proprii Principatus olim caput habebatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bebatur. Nam ut cap. 4. legitur, juxta prædictum Castellum Gruona *erat* pagus Logingaha, *id est, Leingau, ad Loginam vel Leinam fluvium, non procul Gottinga, ut diplomata complura ostendunt. Dignus etiam notatu locus habetur c. 7. de planis, pia populorum credulitate abutentibus,* qui usitato more per sacra loca discurrentes se aut cæcos, aut debiles, aut elingues, vel certè obsessos temere simulant, & ante altaria vel sepulchra sanctorum se coram populo volutantes sanatos se illico proclamant, eo consilio, ut tantum majorem stipem vel quæstum à plebe percipiant. *Hoc cum fecisset anus quædam ad Godehardi sepulchrum, quæ se post volutationem ex cæca subito videntem proclamaverat; jamque cum Episcopo Clerus & populus convenisset, & ad gratias Deo agendas properaretur: forte affuêre quidam cives ipsius, quibus fraudes mulieris notæ erant. Itaque re detecta male à plebe mulctata fuisset, nisi Clerus* pro beati Pontificis veneratione *defensionem ejus suscepisset: sed tamen confusa discessit. Tales* Sterzeri *vocabantur de quibus ita apud Ducangium Reinerus lib. de Waldensibus:* item Hypocritarum, qui vulgariter Sterzer vocantur, qui fingunt sibi infirmitates & subitam sanitatem. *Infra:* falsæ peregrinæ, quæ vocantur Sterzer. *Hæc Ducangius. In Germania nunc quoque mendici vagabundi* Laudsterzer *appellantur.*

XXXVI. Vita Meinwerci Episcopi Paterbrunnensis.
XXXVII. Vita B. Heimeradi, Presbyteri & Confessoris autore Egberto.

Meinwercus Padebornensis Episcopus, ex stirpe Magni Ducis Witikindi, tribuque Immedingiorum genus duxit. Pater ejus Imadus, filius vel Imadi vel Meinwerci, qui ex Theoderico fratre Mathildis Reginæ, Henrico Aucupi nuptæ, nati erant, & anno 953. Ottonem M. in expeditionem contra filium & conjuratos secuti oppetière. Itaque Otto III. & Henricus S. Augusti & Meinwercus Episcopus abavum communem habuêre. Mater hujus Meinwerci Athela, filia Wigmanni fuit Comitis Teisterbandiæ, ex Wigmanno, Hermanni Saxonum Ducis fratre, orti. Sorores Episcopi Athela junior, Sanctimonialis tandemque Abbatissa Monasterii Eltenensis prope Embricam, quod avus maternus condiderat, & Emma (si Adamo Bremensi credimus) nupta Ludero Comiti, Bernardi Saxonum Ducis fratri: quæ in Bremensi Basilica sepulturam accepit, ob beneficia in Ecclesias & mores, apud Albertum Stadensem Cranzium laudata. Consobrinus Meinwerco, quantum apparet, Unwanus fuit, ab ipso educatus, & (Adami autoritate) ex eadem Immedingiorum stirpe ortus, tandemque Hammaburgensis vel Bremensis Archiepiscopus, propinqui Episcopi commendatione, apud Cæsares Henricum & Conradum æquè potentis. Nam cum Henrico sancto educatus fuit in Hildesbemensi schola, & mox apud eum inter Capellanos aulicos egit, ut tunc mos erat primariæ nobilitatis juvenum, cum apud Cæsares collatio Ecclesiasticorum munerum erat. Ab hoc ergo Padebornensem Episcopatum accepit, eumque partim ex patrimonio suo, partim impetratis Cæsarum beneficiis plurimum auxit. Et cum Henrico familiarissimus esset, paulo audaciùs cum illo agebat; & nunc lepidis technis, nunc importuna instantia, religione velata, emungebat eum pretiosis rebus, aut prædia extorquebat, usque adeo, ut aliquando, cum impetrata vix tandem curte Ervete, dixisset Episcopus: Rex omnium Sanctorum retribuat tibi, *reponeret Imperator:* tu verò odium Dei omniumque Sanctorum ejus habeas, qui me bonis cum detrimento regni spolias. *Sed hæc tunc magna pars pietatis habebatur, Ecclesiis largiri; donec Episcopi in Principes potentes crevere, quorum plures summa mox ingratitudine in imperantes insurrexere: imperium autem prædiis nudatum, injuriis Pontificum, & Principum rebellionibus obnoxium, pene concidit.*

Vita Meinwerci, etsi seculo demum sequente scripta, multa tamen habet utilia ad res Episcopo contemporaneas, Cæsarumque & Principum acta cognoscenda, cum nec Synodos prætereat aliasque res Ecclesiarum. Hanc vitam Browerus ediderat: Sed pleniorem ex Manuscripto Codice dedit Adolphus Overham, ex ordine Benedictino Werthinensis & Helmstadiensis Monachus, Vir doctus, jam supra nominatus, qui etiam notas eruditas addidit, & autorem contra viri cujusdam egregii reprehensiones defendit. Cum Meinwercus Abdinghofense Monasterium ordinis ejusdem struxerit, quod intra Padebornensis urbis muros continetur, reperti ibi sunt antiqui versus in laudem Præsulis, ex quibus hos ascribere operæ pretium est:

Saxo natus erat, bene relligione cluebat,
Unus primorum consistens nobiliorum,
Pollens magnarum dominatu divitiarum.
Imadusque Comes pater ejus & Atyla mater,
Doctus divinis primævo tempore libris.
Fit Capellanus Henrici Regis amatus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Padebornenſem ſub eodem tempore ſedem
Suſcipit invitus, magna Regis prece victus:
Attamen Eccleſiæ valde bene præfuit iſti.

Cum multa & in Weſtfalia & in Oſtfalia hæreditario jure prædia teneret, in Padebornenſem Eccleſiam contulit. Ex his Immedeshuſen, (ab Immado aliquo ex majoribus Epiſcopi ſtructum,) nunc feudali lege à Padebornenſi Epiſcopo tenet antiqua Steinbergenſium gens; hujus genealogiam cura laudabili Friderici Steinbergii, Conſiliarii Brunſvicenſis intimi & Aulæ Guelfebytanæ Mareſchalli Supremi, exemplo profuturam nobilitati Germanicæ, edidit Behrenſius Medicus apud Hildeshemenſes pereruditus, & in genealogia familiarum vicinia egregie verſatus. Sed & Pleſſenſe Caſtrum prope Gottingam Immedingiorum fuit, ſeu Witikindeæ ſtirpis & ad Padebornenſes pervenisse per Meinwercum ſcribitur ab autore vitæ; unde Pleſſenſes nobiles feudi lege tenuiſſe dicuntur: ſed extincta eorum familia Wilhelmus Haſſiæ Landgravius, abſente Erico Juniore Duce Brunſvicenſi, cum cœnobio Hokelem, Immedingiorum itidem antiquo patrimonio, ſibi vindicavit. Immedingiorum tribum non ab Imado aliquo poſt Witikindum, ut nonnulli ſcribunt, ſed potius ab antiquo aliquo nomen habere puto; ut erant tribus Amalorum & Baltborum apud Gothos, Agilolfingorum apud Bajoarios. Cum ſcilicet Saxones in has terras ex Transalbinis venirent, unum ex primariis Ducibus Imadum habuiſſe credibile eſt, cujus ex ſtirpe Witikindus Dux aliique gentis primores venêre. Sabaudiæ Duces ad eandem ſtirpem genus referunt, quanquam præter frequens familiæ illi Amadæorum nomen, & antiquam opinionem nullum argumentum afferant. Duo etiam Monaſteria Helmwardeshuſen & Hiliwardeshuſen, ab Ekkebardo Comite circa annum Chriſti 1000. fundata, & ab Imperatore commendata Meinwerco nunc in jura Principum ceſsêre, illud Haſſiorum, hoc Brunſvicenſium. Et narrat Browerus in ſcholiis ad Meinwerci vitam ad C. 117. Ericum Juniorem Brunſvicenſem Ducem ex Calenbergico ramo, cum ſe extincto imminentem religionis mutationem prævideret, ſtatuam miraculoſam B. Virginis, quæ Hildiwardeshuſæ extabat, ad Forum Livii in Italiam transtuliſſe, ibique in domo ſocietatis Jeſu depoſuiſſe; quasdam autem præſtantes reliquias, & in illis caput Eliſabetæ, matris Joannis Baptiſtæ, à filio Erici notho Fuldenſi ſocietatis collegio dono datas.

Heimeradi presbyteri vitam adjecimus, quod vitæ Meinwerci jungi ſoleret. Ambo Sancti habentur, non minus quam Cunigundis Imperatrix. Sed tamen hæc Heimeradum, quod Meinwerco diſplicuiſſet, & ob veſtium cultusque vilitatem vagabundi ſpeciem præferret, verberibus affici juſſit.

XXXVIII. Pontifices Romani gente Saxones.

Controverſia agitabatur inter viros egregios, Wilhelmum Erneſtum Tenzelium & Joannem Mollerum, de vera ſtirpe Suidgeri Epiſcopi Bambergenſis, qui poſtea, Clementis II. nomine, Eccleſiæ Romanæ præfuit. Mollerus eum Holſatis vindicabat in libro erudito de ſcriptoribus Cimbricæ Cherſoneſi, ſecutus quosdam recentiores. Contra Tenzelius teſtimonio Chronici Brunſvicenſis veteris, ab Anonymo ſcripti, Oſtfalum & ex Halberſtadenſi diœceſi ortum contendebat. Mollerus autoritati Chronici, multa ſcriptoris paroramata opponebat. Sed compertum mihi demum eſt, Chronici autorem, quæ huc faciunt, ex antiquioribus bona fide deſcripſiſſe. Itaque locum ineditorum Annalium paulo prolixiorem hic edendum duxi, qui controverſiam decidit, oſtenditque, Clementem II. Papam ex Dynaſtis de Horneburg genus duxiſſe, qui olim in hac Saxonia noſtra ipſisque Brunſvicenſium finibus floruêre. Illorum unus, cum liberis careret, caſtrum & agrum Horneburgium Halberſtadenſi Eccleſiæ reliquit. Porro cum ex Bruno, qui Gregorius V. Saxonibus à quibusdam accenſeatur, de hoc quoque paucula ex compilatore Hamerslebienſi & Amalrici Augerii de Biterris inedito, de Romanis Pontificibus opere addere libuit. Sanè Amalricus Saxonem vocat, & compilator natum vult in Melverode, *quod quale aut quàm verum ſit, non dixerim. Fortaſſe hoc pertinet ad Brunonem Verdenſem Epiſcopum, quem quidam eundem cum eo putant, qui ſub nomine Gregorii V. factus eſt Papa. Chronicon Verdenſe, quod in alio Faſciculo edemus, Brunonem Epiſcopum ſcribit Ullenſem, hodie Ulſen, (Luneburgici Ducatus opidum) hæreditario jure poſſediſſe, ibique cœnobium ſtruxiſſe; Papatum ejus ignorat. Papam autem Gregorium V. non alio jure Saxonem puto dici poſſe, quàm quod natus eſt ex Ottone Duce Francorum, cujus mater fuit Luitgardis, filia Ottonis Magni, Conrado Duci nupta. Gregorius V. Septem Viros Electores Imperii conſtituiſſe olim credebatur, quod nunc à doctis meritò exploditur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXXIX. Guilielmi Appuli Historicum Poëma de rebus Normannorum in Sicilia, Appulia & Calabria gestis, neque ad mortem Roberti Guiscardi Ducis.

Azo potens Marchio, origine Estensis, ex Cuniza veterum Guelforum hærede, pater Guelfi Ducis Bavariæ, qui stirpem in Germania propagavit, in Brunsvicensibus Principibus adhuc superstitem ex altera conjuge filios habuit Hugonem & Fulconem. Hugo filiam duxit Roberti Guiscardi, Normannorum Principis, qui Apuliam, Calabriam & Siciliam tenebat, magnis rebus gestis clarus, regni utriusque Siciliæ fundator, cujus titulum filius Rogerius gessit. Nam Siciliæ citra Pharum (seu cisinarinæ) nomine tunc veniebat, quod nunc Regnum Neapolitanum dicimus: Siciliam verò Insulam, Trinacriæ regnum appellabant. Id porro matrimonium, non minus quam liberorum Azonis & conjugum seriem, Atestini Historici ignorarunt. Quoniam autem Guilielmus Poëta contemporaneus nuptias Hugonis describit, hunc, alioqui paucis visum, nostris scriptoribus addere libuit. Gasp. Barthius, Vir maximæ lectionis, & scriptorum latentium ruspator insignis, (in noctis ad Guil. Britonem p.774.) ita de hoc autore loquitur: Extat Poema Guilielmi Appuli olim editum, laudatum multis doctorum, sed in cognitionem meam non venit, non sine fastidio sinistræ fortunæ. *Exemplo, quod ab Ornatissimo Fellero, Doctissimi Lipsiensium Professoris filio, nunc Smi. Ducis Vinariensis Secretario mecum communicatum fuit, hæc inscripserat insignis vir Nicolaus Heinsius;* Hic liber est rarissimus & alias non editus, quo me donavit Emericus Bigotius V. Cl. *Certè oportet fugisse Quercetani diligentiam, qui Scriptores Normannicarum rerum justo volumine edens, folii, quod vocant, forma, hunc omisit: qui tamen jam prodierat hoc titulo:* Guilielmi Apuliensis rerum in Italia ac regno Neapolitano Normannicarum libri quinque Rothomagi apud Richardum Petit & Richardum Lollemant Anno 1582. 4to. pag. 52. *Editor se vocat Joannem Tiremæum Hautenœum, fisci in provincia Rothomagensi patronum. Librum autem se reperisse ait in religiosa Beccobelvini cœnobii domo; & inscribit Ludovico Balliolo, Lonleii ac Syllei Cœnobiarchæ.*

Sed operæ pretium est argumentum operis paucis complecti, ut, quæ apud autorem dispersa, & dictione obscurata sunt, faciliùs intelligantur. LIBRO PRIMO *sub initium ait:* Dicere fert animus, quo gens Normannica ductu venerit Italiam. *Hortatu Rogerii ipsiusque Papæ Urbani II. laborem hunc à se susceptum profitetur. Urbanus anno 1088. sedere cœpit, obiitque 1099. unde Poetæ nostri ætatem æstimes. Narrat, Normannos quosdam, cum ex voto S. Michaelis in Gargano monte ædem ingressi essent, illic Melum insignem virum, à Græcis Baro pulsum reperisse. Hunc suasisse ipsis, ut in Græcos impetum facerent, armaque suppeditasse. Vincitur Turnicius Græcorum Catapan, sed anno sequente successor ejus Basilius apud Ausidum flumen vicissim Melum vincit. Is sese ad Henricum Augustum confert, & auxilia obtinet, sed dum parantur, obit. Normanni destituti in Campaniam redeunt, nunc his nunc illis Longobardorum Principibus manus & arma locant. Tandem in urbe Aversa considunt, Ranulphum inter ipsos clarum sibi Ducem præficiunt, qui Jordanem genuit, & hic Richardum. Ab Ardoino quodam Longobardo in Græcos iterum incitantur, qui à Dochiano Græcorum Duce injuria affectus fuerat. Tum bis sex de omni numero suo nobiliores eligunt, & quingentorum equitum septingentorum peditum numero instructi, Amalphim capiunt. Inde præda onusti, primorum suorum jussa spernunt, Adenulpho Beneventano Principi militant: Filium Basilii, qui olim Melum pepulerat, in prælio capiunt, Barum, Monopolim, Juvenacum, urbes à Græcis desciscentes, sibi fœdere adjungunt. Tum ab Adenulfo ad Guaimarium Salerni Principem transeunt, qui in Aversa erant Normanni: reliqui Argyroum Meli filium Ducem creant, qui cum Maniaco Græcorum Duce certabat. Interea Constantinus Monomachus ad Imperium Græcorum pervenit. Is Argyroum cum suis in adversantem Maniacum stimulat. Auxilio venêre & Aversani, & inter hos Ranulphi in regenda Aversa successor Rudolphus, filiusque Tancredi Guilielmus Ferrobrachius, cui frater fuit Guiscardus, postea Dux. In eo bello cecidit Maniacus.*

LIBRO SECUNDO. *Argyrous Barum tenens, etiam Hydruntum occupat: inde Normannos dimittit, & in Baro urbe à Guaimario obsidetur, ac postremo Constantinopolin redit. Normanni Guaimario Salernitano iterum operam locarant: inde pars Normannorum Comiti Petro, pars Drogoni adhærent, filio ejusdem Tancredi. Petrus his consanguineus,*

Condidit hic Andrum, fabricavit & inde Coretum,
Buxilias, Barolum maris ædificavit in oris.

Munisse puto, hoc noster ædificare appellat: Tandem Petrus ab Unfredo & Drogone in prælio capitur. Constantinopoli cum pecunia redit Argyrous; solicitat Normannos, ut Græcis in Turcas militent, quos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

autor more Græcorum autorum Persas vocat. Sed cum Apulia excedere nollent, opprimere eos tentat, excito etiam Leone IX. Papa. Drogo tunc obierat & Guaimarius: Normanni rectore carebant. Drogoni tamen fratri superstes erat Unfredus, & Aversam in Comitis modum regebat Richardus Normannus; sed præ cæteris virtute eminebat Robertus Guiscardus, Guilielmi, Drogonis & Unfredi frater. Prælio cum Leone Papa commisso, Longobardi Germanos deserunt: Suevi magna virtute resistunt, sed tandem cæduntur: Papa Benevento à Civibus exclusus capitur. Normanni tota Apulia potiuntur, Unfredus Roberto fratri Calabriam concedit, sed mox defunctus eidem & Apuliæ obtinendæ occasionem præbet Nicolaus II. Papa, Synodo apud Amalphitanos habita, Robertum Ducem creat, & oblatas Romanæ Ecclesiæ, quas ille occuparat terras, feudi jure reddit. Itaque Poeta de Roberto

Unde sibi Calaber concessus & Appulus omnis
Est locus, & Latio patriæ dominatio gentis.

Sed Apuliam & Calabriam inde ab Ottonibus sibi Imperatores occidentis vindicabant, & quod Otto II. cœperat, prosecutus erat Henricus II. captisque Benevento, Troja, Neapoli, Capua, Salerno & aliis locis, etiam Normannis, quod fortiter militassent, agros dederat. Itaque Henricus IV. & alii Imperatores, vel à Papa vel à Normannis, imperio aliquid detrahi posse negabant, quæ omnia noster dissimulavit. Robertus interim priore conjuge consanguinitatis titulo repudiata (ex qua Boamundum susceperat) Sichelgatam, Guaimarii Salernitani Principis filiam, Gisulfi successoris sororem, ducit, ex qua tres filios, quinque puellas genuit. Inde fratris Unfredi filium Abaëlardum, & alios rebelles vincit.

LIB. III. *narratur, quomodo Barum Græcis, navali prælio victis, tertio demum anno extorserit Robertus. Bellum deinde per Rogerium fratrem in Saracenos Siciliæ parat: mox ipse Panormum obtinet. Inde Petri Comitis filium Petrum Trano exuit, Gisulfum conjugis fratrem capit: ita Salerno & Amalphi potitur. Hæc urbs tunc mercatorum concursu florebat, & crebris navigationibus exterorum adibatur:*

Hic Arabes, Indi, Siculi, noscuntur & Afri.

Hic pyxidem nauticam *repertam ajunt, de quo tamen nihil noster. Inde rebus ordinatis Trojam redit.*

Dumque moraretur Trojanæ mœnibus urbis,
Nobilis advénit Lambardus Marchio quidam,
Nobilibus patriæ multis comitantibus illum.
Axo vocatus erat, secum deduxit Hugonem
Illustrem natum, Ducis huic ut filia detur.

Hac re fusiùs exposita narratur deinde, quomodo Dux cognatos aliosque æmulos in ordinem redegerit, parte ditionum ademta, parte reddita.

LIBRO QVARTO *refertur, Michaelem, qui Parapinaceus dicebatur, Constantini Ducæ filium, Imperio dejectum.*

Socio sibi fratre repulso,
Monachus efficitur; *Roberti filia* mœret
Deponi socium, miser exulat ille coactus.

Nempe Michael Imperator filio Constantino desponderat filiam Roberti Helenam, ut ejus auxilio Turcis resisteret; ut habet Curopalates. Poeta autem noster mox de aliis, quos Robertus generos habuit. Inter quos

Partibus Hesperiæ [Iberiæ] quem Barcilona tremebat,
Venerat insignis Comes hanc Raymundus ad urbem,
Ut nuptura Ducis detur sibi filia poscens.
Huic major natu nuptum datur: altera nupsit
Egregio Comiti, Francorum stemmate claro.
Ebalus hic dictus, succumbere nescius hosti.

Hunc Ebalum Comitem de Rocejo fuisse comperi, cujus tanta tunc fama erat, ut à Pontifice Dux expeditionis in Saracenos Hispaniæ crearetur. Tantis ergo affinitatibus Hugo Estensis *Azonis filius, Guelfi frater innexus fuit. Paulo post Robertus cum Gregorio VII. conciliatus Romam venit, fidem huic jurejurando sancit. Credebatur id secretis eum consiliis agitasse cum Papa, ut ademtam Henrico Romani Imperii coronam acciperet. Interim Robertus transfretat in Græciam, ut generi filiæque injuriam vindicet. Sed intellecto Gregorii periculo, quem Henricus & Guibertus oppositus Papa urgebant, in Italiam redit: florentissimo exercitu sex equitum, triginta peditum millibus Romam*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mam ductis, Gregorium in Hadriani mole obsessum liberat, atque ita eodem anno orientis pariter occidentisque Imperatorem vincit.

LIBRO QVINTO *(qui ultimus) postrema Roberti non redituri expeditio in Græciam describitur. Comitatus Rogerio filio, centum navibus, mare Hadriaticum trajicit: in expeditione obit. Interim & Gregorius Salerni in exilio moritur. Reduces naufragium patiuntur Robertus Venusina in urbe apud fratres tumulatur.*

XL. Vita Mathildis Celeberrimæ Principis Italiæ, carmine scripta à Domnizone Presbytero.

XLI. Vita Mathildis Comitissæ, oratione soluta comprehensa.

Mathildis, filia Bonifacii Ducis & Marchionis Thusciæ, & Beatricis, Friderico Lotharingiæ Mosellanicæ Duce natæ, magnarum in Italia ditionum hæres, cum matre Pontifici Romano Gregorio VII. contra Imperatorem Henricum IV. favit. Et quoniam Guelfus *noster, Azonis filius Bavariæ Dux, ab Imperatore recesserat, ei fœdere juncta, etiam filio ejus primogenito Guelfo nupsit; à quo tamen postremo rursus divertit. In Tabulis pacti matrimonialis dotalibus lex scripta erat, ut si superstes maritus esset, ditiones conjugis haberet. Eo ex capite postea Guelfi Ducis posteri, Henricus & Guelfus, sub Lothario Saxone Augusto vendicavere sibi, & autoritate Cæsaris crevere hæreditatem, quam antea Henricus V. Lotharii antecessor sibi usurpârat. Guelfus, qui se Ducem Spoleti ac Tusciæ, ac Dominum domus Mathildis appellabat in diplomatibus, has Regiones in senectutem usque tenuit, & tandem neglecto Henrico Leone fratris filio, Imperatori Friderico I. ejus hosti, accepta pecunia, cessit, qui Philippo filio, Duci Suevia, postea Regi Romanorum dedit. Hoc occiso, cum Pontifex Innocentius III. Ottonem IV. coronasset, terras Mathildis ex ejus testamento Romanæ Ecclesiæ vindicabat, Otto & Imperii & majorum jura opponebat, negabatque Mathildem testamento suo auferre his quicquam potuisse. Inde Pontificem hostem magno suo malo sensit: qui æmulum ipsi opposuit Fridericum II. Neapolis & Siciliæ Regem, Henrici VI. Imperatoris filium adolescentem. Ex eo Mathildis hæreditas pro bona parte in Romanæ Ecclesiæ potestate fuit.*

Ipsa magnis in Ecclesias largitionibus non minus, quam rebus viriliter gestis famam & scriptores promeruit. Domnizo vel Donnizo ejus Capellanus, arcis Canusinæ Ecclesiastes, vitam adhuc viventis carmine scripsit, quale tempora ferebant, & constituerat dicare Principi suæ. Itaque in antiquo Vaticano Codice pinguntur, ipse habitu offerentis, Mathilda in throno specie accipientis. Sed antequam opus ad umbilicum perduceretur, obiit inclyta Princeps. Ex recentioribus vitam ejus scripsit Dominicus Mellinus; mox curatius quædam notavit Felix Contelorius, Romæ sub Urbano Octavo scriniis præfectus. Sed omnium diligentiam & studium vicit vir egregius Franciscus Maria Florentinus, apud Lucenses medicus, qui patriæ suæ asserens hujus Principis originem, res ejus majorumque tradidit ex fide diplomatum autorumque temporibus vicinorum. Hunc secutus non spernendus ingenio & eloquentia, sed inferior Historicæ narrationis firmitate Julius de Puteo. Novissimè vir multiplicis doctrinæ ex Benedictina familia, Benedictus Bacchinus, in libro de celeberrimo Monasterio Sancti Benedicti ad Padolironem, quod à majoribus Mathildis fundatum, ab ipsa ditatum est, res Mathildis novis auxiliis ex Tabulis illustravit. Cùm in eo Monasterio ipsa sepulta fuisset, multis post seculis corpus Urbani VIII. jussu clam sublatum, Romamque translatum est, ubi insigne tumuli monumentum in Basilica Vaticana accepit; Duce Mantuano, qui violatum territorium querebatur, quantumvis indignante.

Porro Domnizonis presbyteri vitam Mathildæ ex Apographo Romæ misso primus edidit Sebastianus Tegnagelius Bibliothecarius Cæsareus, vel qui succenturiatam huic in ea re operam navavit Jacobus Gretserus Ingolstadii 1612. in opere, quod inscriptum est: vetera monumenta contra Schismaticos, jam olim pro Gregorio VII. aliisque nonnullis Pontificibus Romanis conscripta; *quod Goldasto potissimum oppositum erat. Sed cum postea Romæ inquisissem, deprehendi Apographum illud sumtum ex recentiore codice, non ex antiquissimo, qui tunc nondum erat in Vaticana, sed Cardinalis Sirleti Bibliotheca. Hunc ergo contuli cum edito, ejusque ope multa restitui. Nova etiam collatione me nuper juvit V. Cl. Laurentius de Zaccagnis, Bibliothecæ Vaticanæ Custos primus. Nonnulla ex rebus ipsis emendavi, ut jam vix amplius quicquam in semibarbaro & impeditissimo scriptore fugiat legentem, cum antea multa nullum sensum haberent. Figuras ex eodem codice à pictore ad normam prototypi reddi curavi, sed hic non adjeci; quæ alio loco non intempestivè exhibebuntur. Notulas subinde aspersi sensus declarandi causâ. Adjeci & Cartulam Comitissæ Mathildis super concessione bonorum suorum, factæ Romanæ Ecclesiæ, quæ in eodem codice ascripta reperitur; neque scio, an ejus authenticum exemplar alibi habeatur. Notandum autem est, ea tantum donasse Mathildem, quæ* jure

proprietario *seu allodii possidebat: Itaque Ducatus Spoleti, aut Thusciæ Marchia, & quæ alia beneficio Cæsarum feudali majores ejus habuerant, comprehendi donatione non potuisse. Cæterum, ut, quod Guilielmo Apulo dedimus, etiam Donnizoni præstaremus, id est, ut argumentum oneris exhiberemus, eo minus opus fuit, quòd vicem ejus præstabit subjecta eidem* vita Mathildis prosa scripta *ab autore anonymo, non recentissimo tamen; quem, à Francisco Maria Florentino aliquoties ex Manuscripto laudatum, suppeditavit nobis filius ejus Maria Florentinus, vir doctissimus & officiosissimus paternarumque laudum hæres; nam hæc vita ferè ex Donnizone desumta est.*

XLII. De S. Autore & Translatione Reliquiarum ejus in Regionem Brunsvicensem.

Magna olim Autoris Episcopi Trevirensis apud Brunsvicenses *veneratio fuit, & nunc quoque in his regionibus multi hoc nomen in Baptismate accipiunt. Cujus rei causa est, quod reliquias ejus Treviris attulisset Gertrudis filia Ecberti Marchionis, soror Eberti Anticæsaris,* Brunsvici *Domina; vidua Henrici Comitis de Nordheim, Ottone Duce nati; nater Rixæ Imperatricis, Lothario Saxoni nuptæ; avia Gertrudis, quæ Henrico ex Guelfis Duci Bajariorum, dotales Brunsvicenses terras attulit, & Henricum Leonem peperit. Hujus translationi narrationem veterem in Codice Bibliothecæ Juliæ repertam damus. Ita scilicet tunc res erat, ut nullus major ornatus in Ecclesias conferri posse crederetur, quam quem reliquiæ sanctis ascriptæ dabant. Mox enim miraculorum fama nascebatur, quæ & autoritatem & fructum multiplicem asserebat. Cæterum habentur hic aliqua de Gertrude* Brunsvicensium *Principe, quæ alibi non legimtur: eoque magis conservandum hoc fragmentum fuit.*

XLIII. Reinhardi Reinehusensis Abbatis opusculum de familia Reinhardi Episcopi Halberstadensis.

Monasterium Reinhusanum non procul Gottinga, cum sorore Mathilde condidêre tres fratres Comites, Conradus Henricus & Hermannus, filii Ellonis Comitis, qui Reynehusen & Lichen (hodie Gleichen) proprietatis jure tenebat. Quartus eorum frater Udo fuit, Hildeshemensis Episcopus. Hos quidam Comites de Asle, vel certè ex eadem stirpe fuisse putant. Lichen *seu Gleichen olim duo erant Castra, sic dicta ab æqualitate, quorum rudera ex duorum parium montium verticibus latè spectantur. Antiquum* Gleichen *hodie Brunsvicensis Elector, novum Hassiæ Landgravius tenet. Mathildis autem nupsit principi Bavaro, eique peperit Hermannum Seniorem dictum de Winzenburch, qui castrum hoc nomine condidit in his oris. Hermannus curam Reinehusani Monasterii gessit, sed in Bavariam profectus non rediit. Duo ei filii, Henricus & Hermannus, successêre: prior immatura & misera morte defunctus, apud nos (inquit autor) sepultus est: alter ut notum est, occisus parum prodesse loco potuit. Hæc Abbas iste paucissimis de Hermanno Comite de Winzenburch, viro potente & in historia nostra noto. Is cum Conrado & Gibellinæ familiæ adhæreret, à Lothario Saxone Augusto obsessus & captus est. Sed mox Conrado regnante potentiam recepit auxitque. Ipse jam Herimannus senior, credo, quod provinciam integram regeret,* Comes patriæ *dictus est in monumentis, qualem postea Landgravium dixêre. Junior cum militaris viri uxorem violasset, ab hoc in lecto suo cum uxore gravida, occisus fertur. Hildesiensis Episcopus Bernardus castrum ejus sibi vendicavit, quod nunc quoque successores tenent. Nugantur, spectrum familiare subitò indicium cædis Episcopo fecisse, ne præveniretur. Familiam & originem potentissimi Comitis, aliis dissimulatam vel ignoratam, unus hic autor nobis servavit, & hoc beneficium benefactoribus reddidit.*

Quod Reinhardum Halberstadensem Episcopum *attinet, discimus ex hac nostra scriptura (quod cum præfationem in Alberici Chronica scriberem, non animadverteram) filium fuisse Popponis Comitis de Blankenburg: quam gentem ex Thuringia (ubi hujus nominis castrum) in has oras venisse comperi. Fratres Episcopus habuit Conradum & Sigefridum: ex alterutro natum alium Popponem docet noster. Ex eadem familia creditur ortus* Hugo de S. Victore, *vir magnæ doctrinæ & famæ, quem Saxonem plerique scribunt. Educatum se aliquandiu in Hamerslebiensi Monasterio, quod Reinhardus struxerat, testatur ipse. Sed ea de re pluribus dixi in præfatione jam citata. Discimus etiam ex hoc opusculo genus* Udonis Hildeshemensis *Episcopi, nempe, Ellonis Comitis supra dicti filium, & trium Comitum fratrem fuisse. Alveslebiis vulgò ascribitur, nec abhorret, ab Ellone aliquo hujus gentis, Alleslebium structum: unde nomen ramo. Udo autem fortasse jus suum hæreditarium omne in Ecclesiam Hildeshemensem transferens, successori prætextum dedit, ut Mathildis, quæ Udonis soror fuerat, portionem hæreditariam, occiso ejus nepote, tanquam vivo adhuc Udoni, & ex ejus persona Ecclesiæ vindicaret.*

Reinhardus Abbas autor hujus scripti (quemadmodum Archivarius noster harum rerum peritissimus, Johan. Henricus Hofmannus annotavit) fuerat Monachus Helmwardishusensis Benedictini

Ordinis.

Ordinis. Doctrinæ expers non fuit, & exscribendis aliorum operibus librarium elegantem se exhibuit: quod ipse insinuat, & hujus etiam opusculi Autographum ostendit. A suis pro sancto habitus est, miraculis etiam attributis: velut quod dæmonem precibus fugaverit, quod Monachum sibi insidiantem cæcaverit, quod Angelicæ voces precanti dixerint Amen, quemadmodum habent rudes admodum versus, quos vidi. Epitaphium tale legitur:

ANNO DOMINI M. C. I. VI. NON. MAJI OBIIT VENERABILIS REINHARDUS PRIMUS ABBAS HUJUS COENOBII. QUI QUIESCIT HIC ET CLARUIT MIRACULIS IN VITA ET POST MORTEM.

XLIV. Imperatorum ab Henrico Aucupe ad Henricum Quintum res præclarè gestæ.

HOc qualecunque fragmentum Historiæ adjicere placuit ob brevitatem, & quia nonnulla subinde utilia insperguntur. Debetur Cl. Madero.

XLV. Annales Hildeneshemenses ab anno Incarnationis Domini 714. ad annum usque 1138.

HOs annales ex Codice Membranaceo Manuscripto Bibliothecæ Regis Christianissimi edidit Franciscus Duchesnius sive Quercetanus inter scriptores Francorum tomo III. Initia enim Francis orientalibus & occidentalibus communia sunt: posteriora in rebus Germanicis occupantur, quantum ex ipsis locis conjectare licet. Cœptum est opus in Monasterio Laureshamensi (vid. ann. 767.) continuatum in Fuldensi (vid. post 800.) sed pro maxima parte in Ecclesia Hildeshemensi absolutum. Itaque cum annis 985. 990. Osdagus & Gerdagus Episcopi simpliciter ordinati dicuntur, intelliguntur Hildeshemenses. Et ad ann. 1038. Godehardus vocatur noster Episcopus. *Cum ergo res nostras vicinasque inprimis illustret, ex loco propemodum alieno huc transtulimus.*

XLVI. Chronicon Episcoporum Hildeshemensium.

XLVII. Excerpta ex Necrologio Hildeshemensis Ecclesiæ veteri.

XLIIX. Indiculi confraternitatum & Episcoporum Hildeneshemensis Ecclesiæ.

XLIX. Nomina Archiepiscoporum & Episcoporum, qui primum in Hildeshemensi Ecclesia cathedrali Canonici fuerunt.

L. Excerpta paucula ex libro donationum Eccl. Hildeshemensi factarum.

LI. Fragmentum de reliquiis quibusdam Ecclesiæ Cathedralis Hildeshemensis.

LII. Catalogus Episcoporum Hildenesheimensium, sumtus de Chronico Eggehardi Vragiensis Abbatis ad Egbertum Corbejensem Abbatem.

CHronica, quæ hic damus, esse ipsissima illa Eggehardi Vragiensis Abbatis comperimus, conferendo cum Excerptis ex Eggehardi Chronicis ad Ecbertum, quæ reperit ediditque Browerus, & nos hic subjecimus no. LII. Nam verba excerptorum omnia, mutatis pauculis, hic occurrunt. Finiunt antiqua Chronica in Herimanni Episcopi morte, nec ultra Adelogi initia progrediuntur; sive eo usque vivendo pervenerit, sive, quod malim, paulo ante desierit: Eggehardus primus fuit Abbas Monasterii Uragiensis, ab Ottone Episcopo Babebergensi fundati, qui anno 1136. obiit. Et sanè à Bernardo usque ad Adelogum, in eodem codice minio scripti sunt Episcopi in indice; credo, quod ei contemporanei essent, qui Eggehardi opus transcripsit & supplevit. Porro etiam Broweriana excerpta non ex solo Eggehardo, sed etiam ex continuationibus sumta sunt. Hoc Chronicon ob antiquitatem autoritatemque in illis antiquis (nam continuationibus minor fides) edi utique dignissimum fuit. Et ex eo emendari possunt augeriqueváriirecentiorum labores hujus argumenti. Nam & Buntingius Chronicon breve Hildesiense dedit, & aliud recentis Scriptoris cum notis edidit Cl. Paulinus; prolixius etiam Germanico sermone scripsit Leznerus, sed quod nondum prodiit. Interim in his, quæ ad Ecclesiæ jura controversa attinent, fidi scriptoribus domesticis non potest, *nisi cum probationes afferunt. Quædam cum vetere extinctaque mox linea Luneburgica in præjudicium cæterarum linearum pacta memorantur, quæ si maximè vera ponerentur, agnati successores jure meritò non agnovêre.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Magna est ad Historiam utilitas Necrologiorum *in primariis Ecclesiis, seu fastorum propriorum, in quibus per singulos anni dies non communes tantum Sancti, sed & proprii loci, & præterea benefactores notantur, quorum in precibus publicis fiebat commemoratio. Solent autem Sanctorum natales, ut vocant, emortualesque cæterorum notari: Unde discitur, quo mense dieque anni obierint.* Hildeshemense, *quod hic damus, in eo genere egregium est. Habet enim dies obitus Imperatorum, Imperatricum, Episcoporum, Ducum, Principum, Comitum utriusque sexus. Subjicitur indiculus Ecclesiarum, cum quibus Ecclesia Hildeshemensis habebat confraternitatem, ut altera alterius orationibus frueretur. Sequitur deinde egregius* index eorum, qui ex Canonicis majoris Ecclesiæ Hildeshemensis facti sunt Archiepiscopi & Episcopi. *Nam cum priscis temporibus sæpe Imperatores Hildesiam diverterent, inprimis, qui Saxones erant, aut qui ex Francis aulam habebant Goslariæ; nonnulli etiam in schola Hildeshemensi literis imbuti essent; hinc factum est, ut multi Hildesienses Canonici essent Cappellani Regii, aut alias in aula notissimi. Unde crebro ad dignitates Ecclesiasticas eminentes attollebantur, quando adhuc apud Imperatores nominandi jus erat. Sed qui hic nominantur, seculum XII. non excedunt.*

Ex libro donationum *quædam* Excerpta *subjecimus, præsertim cum ibi memorentur donaria aliqua Mathildis, quæ filia Henrici II. Regis Angliæ, uxor* Henrici Leonis *fuit. Sed nec* indiculum reliquiarum *omittere placuit.*

LIII. Versus antiqui de Venerabili Vicelino Episcopo Aldenburgensi.

LIV. Compendium Vitæ & Translationis Venerabilis Vicelini Episcopi.

Henricus Leo Saxoniæ Bavariæque Ducatum obtinens, cum potentia opibusque floreret, animum ad Slavos, Albi & Balthico mari intersitos, sed maximè Wagrios, Polabos & Obotritos Christo subjugandos, adjecit. Wagrii circa Lubecam habitabant, Polabi Lauenburgicum tractum obtinebant, Mecbleburgicum Obotriti. Neque satis in Gentis Slavicæ interiora penetraverat nostra religio, & qui conversi ad meliora habebantur, vacillabant plerumque & veteres superstitiones in oculto fovebant. Optimum remedium visum est, ut Episcopatus in illis tractibus conderentur, aut potius conditi olim & intermissi restaurarentur. Tres igitur Dux fundavit, Aldenburgensem (qui hodie Lubecensis dicitur) Swerinensem ac Raceburgensem, Aldeburgensi Wicelinum præfecit, de quo hic agimus. Wicelinus ex Hamela, Brunsvicensis *juris opido oriundus, (Helmoldus villam publicam* Quernhamele *vocat) parentibus non infimæ sortis (cum Adalbertum, majoris Ecclesiæ Bremensis præpositum, consanguineum habuerit teste Helmoldo lib.1.c.45. vel 46.) ingenio & virtute altiùs surrexit. Apud Canonicos patriæ urbis (quorum nunc quoque superest collegium) literarum rudimentis imbutus: inde apud Comites de Everstein versatus, mox sub nobili quodam Magistro Hartmanno Padebornæ in studiis profecit. Ludolphi avunculi Sacerdotis exemplo ad virtutem animatus est: inde Bremæ scholas rexit. Tum Parisios profectus est, ut ad fastigium doctrinæ ascenderet. Reversus à Norberto Magdeburgensium Archiepiscopo (ordinis Præmonstratensis autore) ad Sacerdotii gradum promotus est, & recusato Bremensi Canonicatu, animum ad apostolicos labores adjecit. Itaque missa Hammaburgensis Archiepiscopi Henricum Slavorum Regulum, Christianum & Christiani cultus sui autorem, Lubecæ commorantem, adiit. Hoc doctissimus Bangertus notis ad Helmoldum lib.1.c.41.[42.] factum putat anno 1125. quoniam Helmoldus ibi ait, hoc factum, quo tempore Lotharius ad culmen Imperatoriæ majestatis pervenit. Sed hoc pro stylo veterum de corona Imperii Romæ sumta accipi debet. Wicelinus autem, teste Helmoldo, presbyter à Norberto ordinatus fuerat, qui sub initia Regni Lotharii primùm obtinuit Episcopatum. Wicelinus deinde apud Falderam in confinio Nordalbingorum, (id est, Holsatorum) & Slavorum (Wagriorum) Ecclesiam regendam accepit, ibique cœnobium sub Regula S. Augustini instituit, quod novi Monasterii (Nigen-Münster) nomen retinuit. Deinde cum Lotharius jam Imperator Bardevicum, atque inde in Nordalbingiam venisset anno 1137. suasu Wicelini Castrum in Segeberg strui jussit, ut Slavos meliùs in officio contineret. Hanc Imperatoris expeditionem Helmoldus & diplomata firmant, Historici plerique ignorant. Multo post tempore, cum Henricus Leo jam adultus rerum per Saxoniam potiretur, Wicelinum (increpitum prius, quod se inscio Episcopalem ordinationem ab Hartwico Bremensi Archiepiscopo recepisset, coëgit à se suscipere investituram per virgam, quod solius Imperatoriæ Majestatis proprium habebatur (Helmold lib.1.c.69.[70.] & seq.) Henricus Dux, ut jus suum autoritate Cæsarea firmaret, à Consobrino suo Friderico I. Literis aurea bulla signatis, potestatem constituendorum ordinandorumque in Slavia Episcopatuum obtinuit vel firmavit. Wicelinus obiit anno Chr.1154. Ejus vitam aliquis carmine complexus est, quod post Erpoldum Lindebrogium hic damus, adjecto breviculo vitæ Wicelini compendio, quod nuper dedit Cl. Struvius.*

LV.

LV. Chronicon Weingartensis Monachi de Guelfis Principibus.
LVI. Chronicon ejusdem Weingartensis Monachi à Christo nato usque ad annum 1197.
LVII. Arbor Genealogica præfixa antiquo Membranaceo MSto. Historiæ de Gvelfis Principibus.
LVIII. Ladislai Gundheimii, ex oppido Ravenspurg, Canonici Viennensis Familia Welphorum.

EX Saxonia nobis in superiorem Germaniam proficiscendum est, Guelforum Principum causa, ex quibus Brunsvicenses sunt orti; ditionesque eorum aliquamdiu tenuere. Guelfi antiqui, sive ex Alamannis, ut veteres scribunt, sive ex Agilolfingis, vetustis Bajoariorum Rectoribus, ut quibusdam viris doctis placet; olim in Suevia & Bavaria hæreditarias nullique feudorum legi obnoxias ditiones habuere, quæ tunc insignis prærogativa habebatur: usque adeò, ut quidam ex illis Ethico indignaretur Henrico filio, quod insignem terrarum tractum sub homagii conditione Imperatoris beneficio recepisset. Principes ergo habebantur etiam, qui Duces Comitesque (quod feudale erat) non appellarentur; qui tamen domum suam aliquando Regio more per ministeria Comitum vel his æqualium regebant, ut de Guelfis habet scriptor, quem damus. Ex his unus Guelfo, quem Historici magis honoris ergo quam muneris Comitem vel Ducem vocant, filiam Juditham Ludovico Augusto, Caroli M. filio, in matrimonium dedit. Vir celeberrimus Joh. Jacobus Chifletius ex Augustæ fratre Hugonem Capetum Regem, totamque Regum Galliæ, tertiæ stirpis, prosapiam deduxit: Et sunt nunc quoque viri docti, qui sententiam ejus non spernendam censent. Novissimus ex antiquis Guelfis Germaniæ, Guelfus Dux Carinthiæ, cum in castro suo Potamo (ad Potamicum scilicet lacum) obiisset, successit in hæreditarias per Suevam & Bavariam terras Cunigunda vel Cuniza, nupta Azoni potenti Marchioni Italorum ex Atestina Gente, filiumque Guelfum in Germaniam misit, qui non tantum ditiones avitas obtinuit, sed etiam ad Ducatum Bavariæ pervênit. Ejus filius primogenitus famigeratissimam Mathildem, Italiæ Principem duxit, sed sine liberis decessit. Frater Henricus, cognomine Niger, Ducatum Bavariæ paternum tenuit, & filiam Magni, Ducis Saxoniæ de sua stirpe postremi, duxit. Unde nati ipsi Henricus & Guelfus. Henricus Magnanimus amicis dictus, hostibus Superbus, ducta filia Lotharii Imperatoris, Saxoniæ Ducatum terrasque Brunsvicenses obtinuit. Eo ex Matrimonio natus Henricus Leo, Dux Bavariæ & Saxoniæ: tandem, conspiratione Friderici I. Cæsaris & Principum oppressus, ægrè nec integras retinuit Brunsuicenses ditiones. Ejus filius Otto IV. Imperator, ultus patrem, imperium Philippo Friderici I. filio extorsit: sed vicissim nepoti ejusdem Friderici Friderico II. succubuit. Guelfus, alter Henrici Nigri filius, Suevicas antiquorum Guelforum, & Italicas Mathildis tenuit terras; sed Henrico Leoni fratris filio parum æquus, pecunia accepta, Philippo Suevo Gibellino (postea Cæsari) suæ domus æmulo, eas vendidit admodum senex. Guelficæ terræ in Suevia prope Potamicum lacum sitæ, ubi hodie Ravensburgum est, extincta in Conradino Gibellina Suevorum Cæsarum gente, tandem Austriacis, per Rodulfum Habsburgium regnantibus, cessere, à quibus etiam nunc tenentur.

Non pauca in Suevia & Bavaria sunt fundata ditataque Monasteria à Guelfis: sed in his eminet Monasterium Vinearum, vulgò Wingartense, quod hoc benefactoribus rependit, ut antiquas eorum res memoriæ posterorum traderet. Chronicon ergo Monachi Wingartensis; à Canisio primum editum, hic renovamus, collatum cum Augustano codice, qui est in Monasterio S. Udalrici & Afræ. Memini olim, cum ad Historiam Guelficam animum applicare cœpissem, Carolum Ducangium, Christophorum Justellum aliosque viros doctos in Gallia, cum quibus mihi literarum commercium erat, dubitare, an verum esset, quod vulgò dudum ferebatur, Brunsvicenses ortos esse ex Atestina gente. Equidem disertè in Monacho Wingartensi apud Canisium ita legebatur cap. 6. hic (*Gwelf*) genuit filiam Cunitiam (*Cunizam*) nomine, quam Azo ditissimus Marchio Estensis Italiæ, cum curte Elisma dotatam, in uxorem duxit. *Sed cum codicem Augustanum inspexissem (ex quo Chronicon hoc ediderat & Canisius) comperi, quod ex connexione ipsa verborum jam suspicatus eram, vocem,* Estensis, *esse glossema, alia manu ascriptum. Rem tamen ipsam in Italiam profectus, certis illic argumentis asserui didicique etiam, quibus legibus Azonis posteri, in Germania Duces, cum Marchionibus Italis ex eodem stipite prognatis, de ditionibus communis parentis transegerint, aliaque nostris Atestinisque scriptoribus ignorata.* Arborem Genealogicam, *quam subjecimus, ex Codice membranaceo Monasterii Vinearum descripsit & ad nos misit Nobilissimus & Amplissimus Pregizerus, Consiliarius Wartenbergicus, cui multum speramus debituram Suevia & omnis Germaniæ Historiam. Ladislai Sundhemii, Canonici apud Viennam Austriæ, ex Ravensburgio, patrimoniali Guelforum opido, oriundi, de Guelfis commentatiunculam hic adjectam, ex Bibliotheca Cæsarea nacti sumus.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

LIX. Othonis Morenæ & Acerbi, Othonis F. Rerum Laudensium, tempore Federici Ænobarbi Cæsaris Historia.

EX Bavaria & Suevia in Italiam transimus, damusque Othonem & Acerbum Morenas, patrem & filium, Germaniæ diu ignotos, à quibus expeditio Friderici Barbarossæ contra Mediolanenses luculenter narratur; nec tantum Henrici Leonis, *qui non exiguam copiarum partem adduxerat, crebra mentio fit, sed etiam vultus ejus & statura describitur, & ut verbo dicam, icon exhibetur, non minus quàm* Gwelfi *patrui ejus, & ipsius Imperatoris aliarumque primariorum virorum, qui affuêre. Ita Italo debemus scriptori, quod nemo nostrorum annotavit. Hunc Felix Osius, Professor Patavinus ediderat, & notis illustrare cœperat: sed morte viri docti notæ imperfectæ mansêre, quanquam ferè magis ad verba quàm res pertineant.*

LX. Chronicon Stederburgense, cui inserta Gerhardi Præpositi de Henrici Leonis postremis rebus gestis, beatoque ex hac vita excessu historia narratio.

HOc Chronicon sed imperfectum ediderat Meibomius: ipsum verò Codicem authenticum non viderat. Eum nos olim ex Archivo Guelfebytano nacti, quæ deerant, supplevimus, integrumque libellum damus.

LXI. Excerpta ex narratione de Godescalco.

CUm Henricus Leo, ex Anglia reversus, recuperare Wagriam & vicina loca conaretur, inter cæteros ad castrensia opera excitus rusticus, nomine Godescalcus, miris, quas narrabat, visionibus pro ostento fuit. Eas magni fecit parochus ad novum Monasterium *(quod à Wicelino structum paulo ante diximus) & posteris somnia hominis probi, sed animi morbo laborantis, conservavit. Codex in Bibliotheca Julia extat, unde excerptæ damus, quæ conferunt ad res illorum temporum meliùs intelligendas.*

LXII. Excerpta ex Rogerio Hovedeno de rebus gestis Henrici Leonis Saxoniæ Ducis, & filii ejus Ottonis IV. Imperatoris.

CUm multa & luculenta sint, quæ scriptor iste habet in rem nostram, de rebus inprimis Henrici Leonis, quæ nostrates fugerunt; sitque semel tantum editus, paucisque extra Angliam lectus, Excerpta inde desumta adjicere è re visum est.

LXIII. Gervasii Tilberiensis, Arelatensis Regni Marescalci, Otia Imperialia ad Ottonem IV. Imperatorem.

GErvasius Tilberiensis, vir illustris, & studiis (pro captu temporum) & militia clarus, ad Ottonem IV. Imperatorem, Henrici Leonis Ducis Bavariæ & Saxoniæ filium, Ottonis, primi Ducis Brunsvicensis, patruum, librum misit, quem Otia Imperialia inscripsit, in jucunda ejus lectione Imperator curas distingueret. Hunc librum passim citarunt autores de Manuscripto. Ex antiquioribus Theodericus de Niem Episcopus Verdensis nominatus, libro 2. de schismate c. 19. librum composuisse Gervasium ait, qui vocetur Otia Imperatoris. Et Autor Speculi exemplorum (quem, cum aliquot sequentibus, viro quondam eruditione eximio Jacobo Thomasio, in literis ad Cl. Maderum datis, notatos debemus) distinct. IX. exempl. 42. refert, *inquit,* M. Gervasius in libro de mirabilibus terrarum & Imperialibus solatiis *&c. ubi Historiolam inde profert Isnardi, Domini Castri Calsini, quæ nobis extat decis. 3. c. 31. & Vincentius Bellovacensis lib. 3. spec. Moral. part. 7. dist. 2. ex nostro exhibet narratiunculam de Cellario quodam B. Rufi Valentiensis Diœcesis. Tilberiensis nostri etiam Bocatius meminit lib. 7. de Geneal. deorum c. 25. & Symphorianus Champerius lib. de antiquitate Lugduni, & autor obscurus de gestis Romanorum c. 154. 155. 162. & Baptista Fulgosius lib. 1. memorabil. c. 6. tit. de avibus aliisque animalibus admirandis: & Gaudentius Merula lib. 3. memorabilium c. 44. ult. Pitsei, Balei, Wolfii, & ex recentissimis, Vossii, Boysii, Reinesii, Menagii, Ducangii aliorumque loca nunc non attingam. Tantùm notabo adhuc sub nomine Marescalli Arelatensis citari nostrum autorem à Falceto (Fauchet liv. 2. de la Maison de Charles Magne) cum de prælio loquitur, inter Guilielmum Tolosæ præfectum & Abdemelecum Saracenum, tempore Caroli Magni commisso: quod referens Guilielmus Catellus, Historiæ Comitum Tolosæ scriptor eruditus lib. 1. hunc Marescallum sibi visum negat. Fragmentum operis*

edidit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

edidit vir quondam doctissimus Joannes Joachimus Maderus, hoc titulo: Gervasii Tilberiensis de Imperio Romano; & Gothorum, Lombardorum, Brittonum, Francorum Anglorumque Regnis commentatio, ex ipsius Otiis Imperialibus *&c. Helmstadii 1673. 4to. Cum vero autor non pauca utilia habeat, quæ nostræ Historiæ illustrationi inservium, & Ottoni IV. ex hac florente nunc quoque Brunsvicensi Domo Imperatori Librum dicaverit; totum opus ex Codice Manuscripto Membranaceo Bibliothecæ Juliæ edendum duximus, atque inde Apographum Cantabrigiam misimus, quod Cl. Wassus, collegii Reginæ socius, vir doctus & officiosus, cum codice sed & ipso satis imperfecto contulit, qui in Collegio Christi illic extat, quanquam pars collationis vel omissa sit, vel exciderit. Clausa tunc erat Cottoniana Bibliotheca: itaque codice ejus frui nondum datum est. Sane non pauca restituimus, sed omnia nec licuit, nec vacavit: præsertim, quæ ad Geographiam pertinent, ubi multa congessit autor partim à librariis corrupta, partim barbara, quæ examinare majoris operæ foret. Secutus alicubi Orosium est, sed & alios alibi, cum quibus conferri posset ab eo, qui aliquando Geographiam Veterem & Mediam, post laudabilem V. Cl. Christophori Cellarii operam, retractare vellet.*

Scripsit autor anno MCCXI. ut ipse ostendit, cum indictionis numerum computare docet. Controversiam, quæ tunc Ottoni IV. erat cum Innocentio III. Pontifice Romano aliquoties attingit, non sine quadam moderatione & judicii gravitate. Nam &, sermone alicubi ad Papam converso, hortatur eum libero satis ore, ut det Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Interim Ottonem seriò & prudenter monet, ut potius Pontifici gratificetur, cujus certè auxilio debebat Imperium, quàm non sine dignitatis periculo cum eo contendat, qui tunc Vicarius Dei in terris habebatur. Erat sanè optima causa Cæsaris, qui terras Mathildis Tusciæ Ducatricis, ab Henrico V. ejusque successore Lothario, proavo hujus Ottonis, Imperio vindicatas; à Lothario in Guelfum, propatruum ejusdem Ottonis, translatas (qui Philippo Suevo, quanquam injustè vendiderat) Romanæ Ecclesiæ, cum detrimento Imperii & suæ familiæ cedere recusabat. Sed ea tunc erant tempora, ut nisi consensu Principum Imperii Ecclesiasticorum & Secularium Pontifici Maximo adversari etiam potenti Imperatori, ne dum novo & nondum firmis radicibus nixo, parum tutum esset. Nec ineptè noster de illius temporis facie ait:

Ludit in humanis *Romana potentia* rebus.

De Henrici VI. Augusti consiliis, qui principibus Germaniæ concesserat, ut feuda magis ad hæreditatis speciem admoverentur: (ex quo divisiones Principatuum, vetitas priore feudorum jure, male natas suspicor) nimirum, ut vicissim ejus posteritas in Imperio succederet, cessante pristina Palatinorum electione: *nemo tam disertè clarèque scripsit quàm noster, qui mox subjicit,* conventionem pridem cum Principibus Teutoniæ factam ab Henrico de successione Imperii, per Sanctissimum Papam Innocentium (III) fuisse cassatam. *Quæ conventio nuspiam hodie extat, quod sciamus. Ubi quod de* Palatinis *habet Cæsarum Electoribus, quanti vis pretii est. Intelligit autem Archipalatina officia, id est, Dapiferum, Pincernam, Mareschallum & Camerarium, qui in Cæsarum, Regum aliorumque magnorum Principum palatiis ab antiquo cuncta regebant. Hæ olim dignitates certæ familiæ, aut certo territorio non alligabantur, ut ex Witikindo Ditmaro aliisque intelligi potest. Electionem Regis vel Imperatoris Romanorum ac Germaniæ seculo certe XII. & magna adhuc parte seculi decimi tertii non nisi ex prætaxatione communi Principum (ut Albertus Stadensis Abbas loquitur) solenni ritu peragebant Principes illi, qui munera Palatina gerebant, autoritatem sacri muneris interponentibus tribus Orientalis Francorum Regni ad Rhenum Archiepiscopis, qui & ipsi mox cum Archi-officialibus Electores dici cœpere; cum antea in Bavarico & Saxonico regno peculiaris cujusdam Electionis species, autoribus illic Archiepiscopis, celebraretur, ut ex nostris Ditmari Supplementis imprimis patet. Denique (vix tamen ante Rodulphum Habsburgium) cæteri Principes vel consilio vel negligentia jus suum omisère, omnibus longo interregno in deteriùs commutatis, obscuratoque per infelicitatem temporum antiquo Imperii jure. Hæc olim fusiùs in præfatione Codicis Juris Gentium Diplomatici explicata, observatus postea Gervasii nostri locus egregiè confirmavit, ad quem etiam in Mantissæ præloquio provocavimus.*

Cæterum Gervasium in his, quæ ad rempublicam pertinent, non spernendum; mox ubi sacra, & remota à suis temporibus locisque attingit, mirificentissimum esse & superstitiosissimum fabulatorem fatendum est. Sed neque prorsus eum à mentiendi libidine absolverim. Quædam enim velut testis oculatus narrat, quæ nemini mentis compoti hodie facile persuaseris. Sed talia tunc vel in pietate vel certè in laude ponebantur. Vix tamen capi potest, hominem de nonnullis rebus naturalibus, civilibus, sacris etiam, doctè & prudenter disserentem, mox in ea dilabi, quæ hodie

Non sani esse homines non sanus juret Orestes.

Nam multiplicis literaturæ virum fuisse apparet, neque in veteribus Historicis aut Poëtis, aut etiam Ecclesiæ Patribus hospitem: Sed omnia corrumpebat cacoëthes mirabilia narrandi. Vixit eo seculo, quod ego cum proximo, omnium seculorum post Christum natum ineptissimum esse comperi; decimo tertio, in-

 quam,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quam, quo subitò omnes propemodum boni scriptores evanuêre, cuncta in se trahentibus Monachis mendicantibus, qui tunc insurrexerant; & mox ignorantiam atque errorem etiam vivi comburio sancientibus: ut jam vix alia quàm utriusque juris & Scholasticarum argutiarum studia superessent. Germanis certè seculum decimum aureum fuit præ decimo tertio & decimo quarto; quo tempore etiam jura Imperii supina ignorantia propemodum intercidêre. Noster habitum doctrinæ animorumque illius temporis velut in speculo intuendum præbet. Nec mirum, qui in sacris rebus quidvis jam Clero credebant, mox etiam in profana historia nihil incredibile reperisse. Turpini & similium nugæ jam ante inventæ erant; sed ex Ottone Frisingensi aliisque contemporaneis apparet, medio duodecimo seculo integram adhuc discernendi facultatem superfuisse: mox verò uno impetu fabulæ, antea intra Legendas & Sanctorum miracula cœrcitæ, sese in orbem literarium effudêre. Sanè non sine admiratione legi, quam inepta de rebus suæ patriæ & vicinis, vix uno alteroque seculo anterioribus, Ptolemæus Lucensis, qui seculo decimo quarto floruit, similesque Italiæ Scriptores habeant: usque adeò, ut jam nec Historici nec jureconsulti nossent, quæ esset Guelforum Gibellinorum origo, quorum factionibus tota Italia crudeliter lacerabatur: usque adeò ridicula sunt, quæ de ea re scribunt. Quanta etiam portenta seculo præcedente, id est, Gervasii nostri ætate jam tum peregrinatores referre auderent, ex Arnoldo Lubecensi Abbate intelligas, qui Epistolam ad se Conradi Hildesiensis Episcopi non pauca manifestè fabulosa narrantem in opus suum retulit, tanquam auro includeret gemmam. Tunc & Benjaminus Tudelensis Hebræus itinerarium conscripsit, quo nihil prodigiosius, cum quo Johannes de Mandevilla seculi XIV. scriptor in suo hodœporico videtur mentiendi audacia certare voluisse. Jucunda inprimis sunt & perridicula, quæ & noster narrat de magicis Virgilii operibus apud Neapolin, quibus alia non imparia ille ipse addit Conradus Episcopus, qui (quo magis mirere) Imperatoris erat Cancellarius. Quæ vero de spectris, & apparitionibus, de mortuorum responsis, de fatatis vel incantatis personis aut rebus habet noster, neque Legendariis neque Amadisis concedunt. Cæterum ne fabulas quidem istas percurrere pœnitebit curiosum antiquitatis, & legisse ex hoc stercore aurum. Passim aspergit quædam noster, ad Historiam & Geographiam & Physicam utilia. Certè de vermiculo colore plantaque unde nascitur, disserit digna expendi; quæ ex codice Manuscripto Bibliothecæ Regiæ jam exhibuerat Ducangius, vir vastæ doctrinæ & diligentiæ, Glossar. Latin. V. vermiculus; unde nostrum Codicem emendavimus. Habet etiam non pauca, quibus res Arelatenses & vicinæ illustrantur. Opinionum quarundam & traditionum, adde & rituum origines, non alibi occurrentes, subinde insinuat. Quæ refert de variis Christi iconibus, legi merentur. De Veronica diserte, ut Excellentis vir doctrinæ Mabillonius. Est inquit, Veronica *pictura Domini vera. (vera icon.)* Pomum aureum, quod in solennibus sinistra ferebant Imperatores, favilla & cinere plenum fuisse refert, ut admonerentur, quam vana esset omnis humana magnitudo. decis. 1. c. 9. Nonnullos etiam citat Autores, qui non tantùm intercidêre, sed etiam planè nobis ignorantur. Tale est Chronicon Claudii ad Adonem, quod citatur decis. 3. c. de ortu provinciarum; Historia item seu Bibliotheca versificata decis. 1. c. 9. Theodosii Diaconi, tr. de terra sancta, unde ampla exhibentur excerpta, decis. 2. Citatur & (decis. 3. c. de Bevere, id est, Castore) egregius versificator Bernardus Sylvester. Et quotidiana (nescio quæ) Historia decis. 3. cap. de Olympo.

Complura alia scripta Gervasio nostro tribuuntur. Ipse non semel opus suum citat de vita B. Virginis & discipulorum Jesu, *credo quod pars eorum in Narbonensem Provinciam cum Lazaro & Maria Magdalena venisse crederetur.* Librum Facetiarum *scripserat in gratiam Henrici Junioris Angliæ Regis, qui ante patrem Henricum II. (nostro dictum Seniorem) obiit. Sed* de mundi descriptione *librum unum, &* de mirabilibus orbis *librum unum, quos Baleus refert, in nostro contineri apparet. Galfridi Monmuthensis fabulas de Britonum origine & Bruto Conditore illustravit, eodem Baleo autore; certè compendium harum nugarum in opus, quod edimus transtulit. Ipsas illustrationes Galfridi vidit Baleus (aut fortasse, quem ille sæpe exscripsit, Lelandus) nam initia citat. Idem Baleus à se juvene editam ait Gervasii tripartitam Regni Angliæ Historiam sub Illustrissimo Anglorum Rege Henrico; libris tribus scriptam,* quem (*inquit*) librum, quia per tres columnas digessimus, duximus *Tricolumnium* postea appellari. *Sed hunc librum videre non memini, neque alii indicarunt. Tribuit etiam Dialogorum librum Gervasio Baleus, & Pitseus, cum dixisset, dialogorum librum unum scripsisse, addit:* affirmant etiam multi, eum scripsisse librum nigrum de curia scaccariæ. *Ibi Vossius hæc referens, & non nihil per festinationem, ut arbitror, confundens; hunc ipsum librum de scaccario forma dialogi scriptum putavit. Cæterum ambigere Seldenum in notis ad Eadmerum p. 216. an autor libri nigri Gervasius sit, ipse Vossius notat. Tandem Theodericus de Niem lib. 2. de scismate c. 19. Balnea Puteolana à Gervasio libello metrico descripta scribit, ab eo scilicet, qui etiam scripserit Otia Imperatoris.*

Sed & de vita viri aliqua subjicere operæ pretium est. Baleus non mediocriter eruditum vocat; cognomentum à Tilberia Ostrosaxonum opidulo in Tamesina ripa duxisse. Theodericus de Niem pro Anglo-Saxonem errore quodam facit. Baleus Henrici II. Regis Anglorum nepotem credidit. Sed tantæ nobili-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bilitatis nulla indicia apparent in hoc libro aut veteribus monumentis: erroremque ortum opinor, quod aliquando in Manuscriptis codicibus, pro avo vestro (nempe cum Ottonem IV. alloquitur) legitur corruptè, avo nostro. Cæterum virum genere nobilem intelligas, quod Marescalci dignitatem in Regno Arelatensi non alteri, (ut tunc erant tempora) Imperator credidisset. Habebat dudum insignes in illo regno possessiones, nempe per uxorem; haud alioqui facilè illic admittendus ad illam dignitatem. Nam decis. 3. C. de equo Gerardi de Cabreriis, in palatio (*inquit*) nostro, quod ex vestro munere & ex vestra gratia ad nos rediit per sententiam Curiæ Imperialis propter jus patrimoniale uxoris nostræ &c. *Itaque Humbertum Arelatensem Archiepiscopum vocat Affinem suum decis. 3. cap. de Lamiis. Ipse sese in præloquio refert inter homines militares. Itaque marte & arte claruit: nam juvenis Bononiæ Jus Canonicum docuit, auditoremque in eo habuit Johannem* Pignatellum, *Archidiaconum postea Neapolitanum; quem ait scientia, meritis & sanguine illustrem decis. 3. c. 12. Fuit ipse in ministerio Guilielmi Regis Siciliæ, & egit Neapoli tunc, cum Accon seu Ptolemais à Christianis obsideretur, ut ibidem ait. Capta autem illa est post anni & amplius obsessionem Julio anni 1191, & Guilielmus Rex paulo ante obierat Novembri mense anno 1189. Gervasius autem jam antea Henrico Juniori Regi Angliæ, cum patre regnanti familiaris fuerat, qui obiit anno 1183. Tunc ergo in Angliæ vel Galliæ parte, Anglis subjecta, egit. Et paulo ante (ut ipse refert decis. 2. c. de Impp. Rom. post Carolum) vidit Venetiis reconciliationem Friderici I. Imperatoris cum Alexandro III. Papa, quæ facta est anno 1177, nullumque illic vestigium habet absurdæ conculcationis, quam boni autores ignorant: quin potius moderatum Alexandri animum laudat patientiamque, qua tandem triumpharit. De ipsa ceremonia sic loquitur:* in Concilio siquidem Veneto pœnitentem Imperatorem ad sinum matris Ecclesiæ regressum *intuiti sumus;* cùm summa humilitate *stolam per manus* Sanctissimi *Papæ* Alexandri, quam dedit pater pœnitenti filio, recepisset. *Credo, quòd stola nova innocentiæ signum esset post absolutionem.*

Notum etiam sibi fuisse scribit Joannem Cardinalem Neapolitanum, tempore ejusdem Alexandri Papæ. Itaque hinc supplendus erit Catalogus Archiepiscoporum Neapolitanorum *apud Ughellum. Scribitur enim ibi Marinus anno 1118. ad sedem Neapolitanam ascendisse, & huic anno 1175. successisse Sergium II. quod per se parum verisimile est. Itaque credibile, Joannem, cujus noster mentionem facit, medium intercessisse. Nam & sedem jam anno 1168. vacasse apud Ughellum ipsum habetur. Sed & puerum se Romæ Alexandro III. sedente fuisse scribit Gervasius: Unde intelligas, maturè patria egressum. Juvenem quoque ad Clericatum fuisse destinatum, & inter Guilielmi Remensis Episcopi (cui carum fuisse Baleus scribit) Clericos egisse discimus ex narratione Radulphi Cogeshalensis Abbatis, quam ex Manuscripto exhibet Johannes Picardus notis ad Guilielmum Neubrigensem lib. 2. c. 13. Radulphi autem verba, cum alibi non extent, vel ideò exhiberi merentur, quod de peculiari quadam ejus temporis secta non vulgaria habent: quamvis ego, quæ de anu magistra, projectum filii globum in aerem secuta, Radulpho narravit noster, solitis ipsi teratologiis computanda non dubitem. Canonicum (quod Radulphus habet) serò factum putem, defuncta uxore, rebusque apud Arelatenses mutatis: cum Ottone Augusto fracto, protectorem illic non haberet. Sed verba Radulphi exhibeamus: Temporibus Ludovici Regis Franciæ, qui genuit Regem Philippum, cum error quorundam hæreticorum, qui vulgo appellantur Publicani, per plures Galliæ provincias proserperet: prodigiosum quiddam in urbe Rhemensium contigit, de quadam senili muliere hac peste infecta. Cum enim Dominus Guilielmus ejusdem urbis Archiepiscopus & avunculus Regis Philippi, cum clericis suis spatiandi gratia obequitaret, quidam ex clericis ejus, scilicet magister Tilleberiensis, videns quandam puellam in vinea solam deambulantem, lubricæ juventutis curiositate ductus divertit ad eam, sicut ab ore ejus audivimus postea, cum Canonicus esset. Quam salutans, & unde, & cujus esset filia, & quidnam ibi sola ageret, diligenter inquirens, cum ejus pulchritudinem diutius attendisset, hanc tandem de amore lascivo curialiter affatur. Cui illa simplici gestu, & quadam verborum gravitate respondet, vix juvenem respicere volens: nunquam velit Deus, ô bone adolescens, ut tua amica sive alicujus hominis existam: quia si virginitatem amisissem, & caro mea semel corrupta esset, æternæ damnationi procul dubio, absque omni remedio, subjacerem. Quod audiens magister Gervasius intellexit protinus, hanc esse de illa impurissima secta Publicanorum, qui illo in tempore ubique exquirebantur & perimebantur, sed maxime à Philippo Comite Flandrensium, qui justa crudelitate eos immisericorditer puniebat. Nonnulli verò eorum in Angliam advenerant, qui apud Oxenefordiam deprehensi, jubente Rege Henrico II. clave candenti in frontibus deformiter sunt signati & effugati. Dum itaque prædictus clericus cum puella de tali responso confutando altercaretur: supervenit Archiepiscopus cum suis, qui controversiæ subortæ causam agnoscens, jussit puellam comprehendi, & secum in urbem adduci. Quam coram Clericis suis alloquens, & plures auctoritates & rationum argumenta pro confutando errore*

proponens: respondit illa, se nequaquam adhuc fuisse instructam, ut tantas objectiones posset refellere: sed habere se quandam magistram in urbe confessa est, quæ omnium objectiones facillimè suis rationibus refelleret. Cujus nomen & habitationis locum cum indicasset: confestim à ministris quæsita & inventa, coram Archiepiscopo sistitur. Quæ multis quæstionibus & auctoritatibus divinarum scripturarum ab ipso Archiepiscopo & à Clericis undique pulsata, quæ tantum errorem convincerent: ita omnes auctoritates prolatas, quadam sinistra interpretatione, pervertebat, ut satis patenter cunctis innotuerit, Spiritum totius erroris per os ejus fuisse locutum. Ad omnes siquidem auctoritates & historias tam veteris quàm novi testamenti, quæ ei objiciebantur, tam facilè, tam memoriter respondebat, tanquam omnium scripturarum notitiam esset adepta: & in hujuscemodi responsionibus semper exercitata, veris falsa commiscens, & veram fidei nostræ explanationem quodam pernicioso intellectu deludens. Cum autem utrarumque mentes obstinatæ, nec minis nec blanditiis aut ullis allegationibus vel scripturarum auctoritatibus ab errore suarum propositionum revocari possent, reclusæ sunt in ergastulo carceris usque in crastinum. Quæ coram Archiepiscopo, & omni clero ac in præsentia nobilium virorum, in aula Archiepiscopali revocatæ, pluribus iterum allegationibus, de abrenunciando errore publicè conveniuntur. Quæ cum salutaribus monitis nulla ratione acquievissent, sed in errore jam semel concepto immobiliter perstitissent, communi consilio decretum est, ut flammis concremarentur. Et jam igne in civitate accenso, cum ad pœnam adjudicatam à ministris trahi deberent, ait illa malefici erroris magistra: O insensati & Judices injusti! putatisnè, quod me ignibus vestris concremabitis? judicium vestrum non formido, & ignem præparatum non perhorresco. Et hæc dicens, concitè glomum fili extraxit, & extra quandam magnam fenestram projecit, capiti fili in manibus retento, cunctisque audientibus voce sonora dixit: Recipe. *Ad quod verbum mox à terris elevata, glomum agili volatu cunctis aspicientibus extra fenestram subsecuta est, malignorum spirituum ministerio, ut credimus, subuecta; qui quondam Simonem Magum in aëre sustulerunt. Quo autem illa malefica devenerit, vel ad quem locum transportata fuerit, ab aspicientibus omnino sciri non potuit. Puella verò, nondum ad tantam sectæ illius vesaniam perfecta, cum remansisset, & nec rationum persuasione nec divitiarum sponsione ab incepta obstinatione revocari potuisset: igne consumpta est non sine admiratione multorum; cum nulla suspiria, nullos fletus, nullum planctum emitteret, sed omne flagrantis incendii tormentum constanter & alacriter perferret, instar martyrum Christi, sed dispari causa, qui olim pro Christiana religione à paganis trucidabantur. Homines hi hujusmodi impurissimæ sectæ mori magis eligunt quàm ab errore converti. Sed nihil simile habent Martyrum Christi constantia & istorum pertinacia: quia mortis contemptum, in illis pietas, in istis cordis duritia operatur. Asserunt isti, parvulos non baptisandos, donec ad intelligibilem perveniant ætatem. Astruunt, non orandum pro mortuis, nec sanctorum suffragia expetenda: nuptias damnant, virginitatem prædicant in operimentum suæ turpitudinis: Lac, & quicquid ex eo conficitur, abhorrent, & omnem cibum, qui ex coitu procreatur. Non credunt, ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam corpore solutam, ad requiem transire vel ad damnationem. Nullas sacras scripturas recipiunt nisi Evangelia & Epistolas Canonicas. Rusticani homines sunt: & ideo nec rationibus convincuntur, nec auctoritatibus corriguntur, nec persuasionibus flectuntur: mori magis eligunt, quam ab impiissima secta converti. Ajunt & alii (qui de eorum secretis investigaverunt) quod isti non credunt Deum res humanas curare, nec aliquam dispositionem vel potentiam in terrenis creaturis exercere; sed Apostatam Angelum, quem &* Lusabel *nominant, universæ creaturæ corporali præsidere, & ad nutum ejus cuncta terrena disponi. Corpus à diabolo dicunt formari, animam vero à Deo creari & corporibus infundi. Unde fit, ut semper quædam pertinax pugna inter corpus & animum geratur. Dicunt etiam nonnulli, quod in subterraneis suis quædam nefanda sacrificia Lucifero suo, temporibus agant constitutis, & quasdam sacrilegas turpitudines operantur.*

Una adhuc quæstio superest, an verum sit, quod suspicati sunt viri docti Johannes Henricus Hofmannus Archivarius Hanoveranus, & hujus indicio Johannes Joachimus Maderus, Gervasium Tilleberiensem factum fuisse notarium Ottonis Principis de Luneburg, ex Guilielmo Ottonis IV. fratre nati, & Præposituram demum Ebbekesdorfiensis Monasterii, quod in Cellensi hodie ducatu situm supra diximus, ab hoc accepisse. Coram Imperatore (patruo) bona quædam Templo Jerosolymitano 1215. dat Otto Princeps per manus Gervasii velut Notarii seu Cancellarii; deinde ob fidele servitium, *progenitoribus suis in partibus peregrinis præstitum, eidem*

Gerva-

Gervasio Præpofituram confert, quam dixi. Gervasius Præpofitus obiit anno 1235. Addit Maderus, Tilberienfem à Niemio Oratorem & Cancellarium Ottonis IV. vocari. Sed Orator effe potuit, Cancellarium Niemius, memoria credo lapfus, vocavit pro Marefchalco; quod fcilicet liber & literæ magis Cancellario, quam Marefchalco, convenirent. Ego Gervafium Notarium & Præpofitum Ebsdorfienfem utique hominem peregrinum fuiffe facilè admitto; neque enim hoc nomen ufitatum in his oris erat: fed Tilleberienfem progenitoribus Ottonis Ducis, id eft, Henrico Leoni aut Conjugi ejus Mathildæ, operam navaffe in Anglia aut alibi, non apparet. Nec credo id diffimulaffet ipfe, ad horum filium Imperatorem fcribens. Magiftrum etiam Gervafium appellant Codices & autores, quæ tunc magnæ dignationis appellatio erat, publicis doctrinæ teftimoniis quæfita: fed ea Gervafio Notario & Præpofito nufpiam tribuitur. In Anglia patria potius vitam claufiffe Tilberienfem, fcripta ejus multa de Anglicanis rebus, nulla de Saxonicis fuadere videntur. Denique Radulphus ille Cogeshallenfis Abbas, qui fub Henrico III. Rege Angliæ floruit, videtur Joannis Regis tempore (qui Henrici III. pater fuit) Gervafium jam Canonicum, depofita Marefchalci perfona, in Anglia cognoviffe; quæ in Notarium Ottonis Ducis & Præpofitum Ebbekesdorfienfem non bene quadrant.

LXIV. Variæ Lectiones & Emendationes Ditmari, feriùs annotatæ.

De his dicere occupavimus Num. XXVIII. cum de ipfo Ditmaro ageretur.

Ita finem impofuimus Introductioni prolixæ quidem fed neceffariæ, ut cujusque partis, in hunc Fafciculum collectæ, autor & ufus cognofceretur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf